HENRICI BARELLII

CARMINA

HENRICI BARELLII

E CONGREGATIONE CLERICORUM REGULARIUM

SANCTI PAULI

CARMINA

IN LUCEM RURSUS EDITA

CURA

JOANNIS SOLERA

PRESBYTERI CREMENSIS.

MEDIOLANI

EX TYPOGRAPHIA RONCHETTI ET FERRERI

MDCCCXLIII

Meis discipulis carissimis!

Aurea hæc carmina Henrici Barellii, conlecta atque in unum librum a me coarctata, Vobis, generosi juvenes, inscribo et dico ut mei in vos pignus amoris; eumque civem nostrum græcarum latinarumque literarum scientia et loquendi elegantia clarissimum utile propono Vobis exemplar ad rite conficiendam studiorum humanitatis ac literarum rationem, quam alacri animo suscepistis ingressique estis. Eja igitur agite, optimæ spei adolescentes, atque ad excolendam mentem ingenuas per artes sedula opera attendite, ad easque penitus perdiscendas neque curis, neque laboribus parcite. Exterum non ostento auctorem, sed vobis sub oculis pono civem domesticæ exemplum urbanæque gloriæ. Hujus ergo observata vestigia sequi diligentia et studio laborate; atque in hoc evigilent semper curæ et cogitationes vestræ, ut quemadmodum quam multas vobis res non solum ad intuendum verum etiam ad imitandum majores reliquerunt, ita et vos posteris memoriæ hujusmodi tradatis, ut se esse vobis editos ideoque vestræ laudis hæredes glorientur. Deum Optimum Maximum precor, ut vos quam diutissime servet incolumes ad patriæ decorem, ædificationem Ecclesiæ vestrarumque animarum salutem. Valete.

DE HENRICO BARELLIO.

Si quando urbs nostra eruditissimis hominibus liberalibusque studiis floruit, exeunte maxime XVIII, *et ineunte sæculo* XIX *floruit. Multa exempla sunt. Joseph Guerreri, Faustinus De Carpaciis, Antistites Ant. Maria Gardini et Thomas Ronua, Vincentius Racchetti in Athenæo Ticinensi Pathologiæ Medicinæque legalis Professor, Cæsar et Gajetanus Alfontius Ruggieri, alter Professor Chirurgiæ in Lyceo Magno Patavino, alter Venetiis Medicinæ, Placidus Zurla S. R. E. Cardinalis, Carolus Pius Ravasi Episcopus Adriensis, aliique præterea non pauci literis, scientiis, doctrinis claruere. Verum ex iis, qui optimarum artium studia et disciplinam vehementer ac feliciter coluerunt, magnamque famæ celebritatem adepti sunt, principem tenet locum Barellius. Ipse natus est loci* Castelli *sub Parœcia SS. Petri et Pauli* Ricengi VI *Id. Jun. An.* MDCCXXIV. *Antonio patre, matre Ursula Lopi. Sacro fonte salutis ei parentes Carolum Alexandrum dixere nomen, quod in Henricum Alexandrum quum induit sodalitatis suæ habitum, mutavit. Indolem pietati et mentem literis facile nactus prima studiorum rudimenta posuit apud Clericos Regulares divi Pauli magni nominis magistros in nostro S. Marini Conlegio, ex quo tot prodiere viri illustres, quodque grato animo patria et memori mente jure tenet. Anno post ætatis vigesimo Modoetiam se contulit, et in Congregationem S. Pauli cooptatus die vigesima quarta Augusti anni* MDCCXLIV, *habitu indutus fuit die decima nona Octobris ejusdem anni, et die vigesima Octobris anni* MDCCXLV

solemnem professionem emisit in Ecclesia S. Mariæ in Carrobiolo. Inde Mediolanum missus in Collegio S. Barnabæ disciplinas tum philosophiæ tum theologiæ sibi traditas hausit. Ad sacerdotium evectus statim ei perdifficile munus docendi juventutem atque erudiendi in græcas latinasque literas commissum fuit; quo munere per plurimos annos summa cum laude et maximo discipulorum profectu perfunctus est. Apud populum quam sæpissime et cum animarum salute etiam gravi oratione disseruit. Alia et quidem amplissima publicæ doctrinæ officia peregregie gessit. Religionis Catholicæ Romanæ aliæque illustres Academiæ socium adsciverunt, quamquam sincera animi modestia titulos et nomen laudis ac gloriæ abhorreret. Tandem anno MDCCCX, *abolita ejus Congregatione, hic homo disertissimus et omni doctrina et virtute ornatissimus in patriam rediit, ubi vitam vixit in altissima tranquillitate, et pari veneratione usque ad annum* MDCCCXVII, *quo plenus annis, plenus honoribus* VIII *Id. Dec. decessit.* Con lui, *optime scripsit Stephanus Bolzonius ab Actis Municipii nostri emeritus, publice nuntians Barellii mortem,* la sua patria ha perduto uno de' maggiori suoi ornamenti, le Muse Latine un purgato e nobilissimo scrittore, e l'Italia intera uno de' più dotti e venerabili cittadini.

Præter Carmina in hoc volumen collecta Barellius libros VII De Christiana Religione *in lucem dedit,* Bergomi apud Locatellium MDCCXC, *quos viro eminentissimo Angelo Durino S. R. E. Cardinali amplissimo dicavit. Aureum istud Poema ad eum doctissimis vatibus inserendum suffecerit. Quapropter recte ait Moschini* (Della letteratura Veneziana, vol. I), che assai più e pe' suoi pregi e pel suo soggetto diffonderebbesi ove più fosse la lingua del Lazio in coltura e la religione in onore. *Inter alia scripta inedita reliquit Poema* De Gratia divina, *et elegiacum Epitaphium, proprio insculpendum tumulo, quod nunc primum in lucem prodit.*

EPITAPHIUM

HENRICI BARELLII

E terra eductus, terræ nunc redditus, ævo
    Confectus longo qui fueram, hic jaceo;
Atque diem extremam expecto, qua sæcula finem
    Accipient, et erit qua mihi vita redux.
Cœlestis clangore tubæ experrectus, apertis
    Luci oculis novus hinc tunc homo prosiliam.
Terrena siquidem detersa labe, redibit
    Huc anima, ut mutas vivificet cineres.
Nexu hominis partem jungens utramque perenni:
    Sic immortalis factus ego astra petam.
Christo sponsore, hæc vita soluta labores
    Spes tanta, ad tumulum est usque sequuta comes.
Nonaginta annos nati hæc sunt carmina vatis
    Insculpenda loco, quo gelida ossa jacent.
Christum qui legis hæc, ah! quæso precare, suprema
    Ut voti compos gaudeat ille die.
Exin æternûm cœlesti in sede futurus
    Divorum felix, aligerumque comes.

MORCELLII INSCRIPTIO

PRIMUM IN LUCEM EDITA.

HEIC · IN · PACE · ☧ · COMPOSITVS · EST
SENEX · OPTIMVS · PIENTISSIMVS
HENRICVS · BARELLIVS · DOMO · CREMA
E · SODALITATE · PAVLLI · ET · BARNABÆ
MAGNORVM · APOSTOLORVM
QVEM · ELOQVENTIA · ET · SCRIPTIS · CLARVM
MIRA · VIS · POETICA
DOCTISSIMIS · LATINORVM · POETARVM · ÆQVAVIT
ET · GRÆCARVM · LITTERARVM · COGNITIO
ERVDITIS · VIRIS · ILLVSTREM · FECIT
ANNOS · NATVS · LXXXXIII · M · V · D · XXIX
DECESSIT · VIII · ID · DEC · AN · MDCCCXVII
VIRTVTE · ET · COMITATE · CARVS · OMNIBVS
IDEM · DE · COLLEGIO · MEDIOLANENSIVM · ALEXANDRINO
DIVTVRNIS · LABORIBVS · EGREGIE · MERITVS · EST
FELICIANUS · NOLI · DATARINI
HONORIS · ET · MEMORIÆ · CAVSA
TITVLVM · POSVIT

DE ALBERICO VII

COGNOMENTO MAGNO

CUNII BARBIANI LUGI ET ZAGONARIAE COMITE

AD ALBERICUM XII

BARBIANAEUM BELGIOJOSIUM ATESTINUM

VICECOMITEM TRIVULTIUM

SACRI ROMANI IMPERII PRINCIPEM CELSISSIMUM

EX PRIMARIIS HISPANIARUM MAGNATIBUS

CARMEN PANEGYRICUM

Ex Libro = *Joannis Baptistæ Ægnatii etc. De exemplis* Illustrium Virorum Venetæ Civitatis, atque aliarum gentium. Paris. 1554, 12, pag. 53, 6.

DE ALBERICO CUNII COMITE.

Non indignabuntur (ut opinor) Galliæ, si post duos Carolos maxime illustres, Albericus Italici Sanguinis Vir, sibi subtexetur. Nemo igitur est ab humanioribus studiis nostris tam alienus, qui nesciat in Nostra hac Italia sic quingentesimum, et amplius annum bello ita gestas res esse, ut peregrino, externoque milite semper usi simus, nemine Italici Sanguinis rem militarem attingente, donec ducentesimum abhinc fere annum ALBERICUS CUNII PRINCEPS Italici vere Sanguinis hanc veterem gloriam ita nobis reddidit; ut pulsis, fugatisque ex Italiæ finibus externis omnibus, vetus illa Romani Populi indoles sit nobis per eum restituta, unde Sfortianus, Bracianusque Miles, unde tot clarissimi Imperatores, Franciscus Sfortia, Nicolaus Piccininus, et innumeri alii per ea tempora; postremo vero Bartholomæus Coleo, Federicus Urbinas Dux, Robertus Sancto-Severinas, ætate vero nostra Nicolaus Petilianus floruerint.

Debita si Heroum magnis sunt carmina gestis,
Cur tibi, Barbianum decus, et generosa propago,
Albrice, heroum nulli virtute secunde,
Carmina nostra negem? Aoniae meliora Sorores
Oh mihi dent utinam, Phoebusque in vota vocatus!
Tunc fastu haud equidem tanto jactaret Achillem
Graecia prisca suum, nec trojus conferat Hector
Se tecum, in Divos quamvis argiva Vetustas
Hos referat, veraeque affingat plurima laudi.
Nec tantis Pindum implerent rumoribus omnem
Romulidum proceres Pompejus, et aemulus armis
Caesar, Scipiadae, et Fabii Mavortis alumni,
Roma Virûm foecunda parens ad maxima gesta
Quos aluit, coelique Erato super astra locavit.
At quoniam infelix laevo tibi numine divûm,
Albrice, obtingit vates, cui scandere collem
Haud unquam aonium licuit, nec labra liquore
Mergere pegaseo, et plectrum cui rauca sonans est,
Do tibi, quae possum. Virtus mage clara nitebit
Sic tua, vera omnis, vano spoliataque fuco,
Mendaces sunt saepe usi quo in carmina vates
Heroum aucturi laudes, et gesta suorum.
Foemineum haec tibi vana Genus pigmenta relinquo.
Haud meus hoc eget ornatu decorarier Heros.

2

Regalem discissa sinum, et laniata capillos
Italia [1] incumbens saxo gemebunda jacebat
Saepius ad Coelum rorantia lumina fletu
Tollens, atque manus. Veteres stant corde dolores
Usque equidem infixi, fati non immemor unquam
Adversi, Imperio quod se deturbat ab orbis,
Quem sibi bellipotens olim victricibus armis
Late subdiderat, terrao dans jura, marique:
At nunc corda recens aegrae dolor angit, et ore
Moesta gemit cernens Italos, sobolemque Suorum
Virtutum omnigeno quondam splendore nitentem,
Nunc heu! degenerem, atque oblitam laudis avitae
Usquo in deterius labi; nullumque malorum
Esse modum: amissas vires, animosque latinos.
Nil jam praeclari meditatur corde juventus,
Aggrediturve manu. Leges, moresque vetusti,
Palladiaeque jacent artes. Dominatur ubique
Horrida Barbaries, Vitiorum tota caterva [2]
Quam sequitur, stygiis in nos immissa latebris;
Terribiles visu formae, ac teterrima rictu
Monstra, atrae noctis genus, ac graveolentis Averni.
Ut superas tenuere plagas, dant omnia circum
Vasta, ruuntque italas una bacchata per Urbes;
Cunctaque, quae remauent, virtutum germina sternunt.
Ut si quando ater nimbis furit aethere turbo,
Foeta e nube ruens grando populatur opima
Late rura, satisque affert, segetique ruinam:
Haud aliter stygiae prosternunt omnia Pestes,
Quo se cumque ferunt. Inflata Superbia vento
Dux praeit, elatam tollens ad sidera frontem.
Subiicere indignans cuiquam caput illa, jugique
Indocilis vana spe libertatis ad arma [3]
Coecum vulgus agit. Subito per tecta, per urbes
Saxa, facesque volant. Nece circum, et sanguine gaudens
Seditio ruit, et scissa Discordia palla;

Armatumque Odium ferro, armatumque veneno.
At parte ex alia properat sata Dite parente
Fraus instructa dolis, artes cui mille nocendi.
Vipereum tegit illa caput velamine, vultu
Composito apparens. Comes est inimica Pudoris,
Et scelerum hortatrix effrons, ac coeca Libido,
Et socia Ingluvies ventris, graveolensque Voluptas
Multo foeda luto; tum vultu torvus, et atro
Livor felle tumens, Ardorque effroenis habendi
Agmine cum reliquo. Adversis exercita fatis
Oh gens Oenotriae (4) infelix, quam talia monstra
Jamdudum lacerant; atque his superaddita major
Urget ad interitum Pestis, cladem que minatur
Extremam, nisi forte polo tibi dexter ab alto
Jamdudum oranti Deus adsit, opemque ministret.
Turma Virûm (5) truculenta animis, et crimine multo
Infamis, variis collecta e gentibus, exul
Finibus e patriis, superatis Alpibus, istuc
Irrumpens Italis jamdudum insedit in oris.
Illyrici, Celtaeque agmen, mixtique Britanni
Collegere, idem coecus quos incitat ardor,
Et scelerum studium. Caede implacabilis ulla
Dira phalanx ruit, in varios divisa Maniplos, (6)
Quorum cuique duces proprii, vexillaque signis
Fulgent diversis. Praedae quo invitat opimae
Spes, illuc avido quisquis volat incitus aestu;
Stymphalidesque velut totidem, Harpyaeque voraces
Omnia diripiunt, contactuque omnia foedant.
Heu dolor! heu pietas! Quis dira piacula fando
Enumerare queat? Direptaque templa, domosque
Excisas? Violata fides, violata pudoris
Jura cadunt. Casti franguntur foedera lecti.
Quod foeda eheu tunc, indignaque vidimus! Horret
Mens meminisse; pudor prohibet narrare. Procella
Quot rapit atra solo vitas juvenumque, senumque!

Ingemuere nurus, et scissae pectora matres
Saepius ereptos plorarunt funere natos.
Nec tanta ab Gothis, Longobardisque cruentis
Italiae passa est tellus, Hunnisque, Herulisque.
Ac veluti antiquam si forte incendia silvam
Corripiant, variis immissa e partibus, agri
Collucent longe; quercusque, ornosque comantes
Flamma inimica vorat. Bruta e nigrantibus antris
Pulsa metu exiliunt; nec contra est sistere virtus:
Aut si quando objecto erumpit ab aggere torrens,
Fertur in arva furens aestu, sternitque, rapitque
Obvia cuncta, casas pariter populatus, et agros;
Ruricolaeque fugae passim dant terga, saluti
Qua via se pandit. Pulsat praecordia terror;
Nec cuiquam est segetis, pecoris vel cura tuendi:
Haud aliter nostri fugiunt formidine cives
Correpti; (An patria excedant tellure, relinquant
Hostibus ut sedes?) agrosque, et tecta voraci
Dimittunt turmae populanda. Obsistere nemo
Audet, communemque solo depellere pestem;
Tam segnes animi heu pudor! atque inscitia belli,
Armorumque fuit populo tum tanta latino.
Huc Italûm recidit laus ergo, antiquaque virtus?
Quin etiam heu probrum! conducto hoc milite (7) Reges
Vobiscum Ausonii alternis contenditis armis?
Atque emitis pretio, qui nostro sanguine ferrum
Tingant barbaricum? Obcoecat quae amentia, vestra
Huic hominum faeci fidatis ut omnia, quorum
Nulla fides, atque unus agit quos ardor habendi?
Haec cubito insistens, scopuloque innixa vetusto
Dedecora Italia aspiciens, cladem que suorum,
Saepe manus coelo attollens, oculosque dolebat
(Vidi ego) dissimilis quantum, mutataque ab illa,
Quae fuerat Regina prius terraeque, marisque.
Sed lacrymis jam parce, Deûm dilecta Supremo

Diva Patri; coelo gemitus audivit ab alto
Ille tuos, rerum omnipotens unde arbiter orbem
Despectans imum aeterno regit omnia nutu.
Audivitque tuas etiam quas ore querelas (8)
Insubrum Petrarca cies e collibus, aegrae
Petrarca Italiae spes magna, et magnus etruscae
Gentis honos, nasci dignus melioribus annis.
Aemilium tu saepe vocas, fortemque Camillum;
Ultricemque animam Bruti, Mariive; vel umbram
Pompej ingentem; aut alium de gente Quirini
Heroem elysiis exurgere vallibus optas,
Invisum externis, formidatumque Maniplis;
Aut saltem divina aliquam virtute calentem
Demitti ex astris Animam, tot acerba Tuorum
Ulcisci quae damna queat. Pater annuit aequis
Omnipotens votis Magnae Genitricis, Alumni
Et tanti. Miserans tumidum bacchari hostem
Haud sinet ulterius. Scelerum justissimus ultor
Tantorum Sinna (9) Aemiliam qua interluit undis
Sanguine Barbianum (10) e claro, Heroumque vetusta
Exurget sobole. Infanti jam stamina vitae
Aurea nent Parcae, haud longum abrumpenda per aevum.
Opperiens Pallas partum, impatiensque cubili
Matris adest, puerum gremio exceptura tenellum,
Jam tum belligeros animis inspiret ut ignes;
Virtutesque omnes, inventricemque novarum
Det rerum ut mentem, Heroes quo fulgeat inter
Ausonios unus, reliquis praestantior. Atros
Occiduo properabat equos nox mergere ponto;
Atque diem Marti Sacer Ales (11) adesse canebat,
Quum coeli in superas Albricus prodiit auras.
Advertere omen (12) vates; ipsumque futurum
Dixerunt bello egregium, dextraque potentem.
Et vera eventus docuit praesagia. Nugas
Namque aversatus, quibus aetas prima tenetur,

Arma puer tractare manu, alipedemve ferocem
Flectere gaudebat, pugnae aut simulacra ciere
Cum paribus, quos ille omnes et robore praestat,
Atque animo; nullusque potest consistere contra
Vel pedes incedat, vel equestria praelia tentet,
Parvulus ille quidem, at galea metuendus, et hasta.
Tu quoque saepe puer, Joannes [13], praelia miscens
Cum puero, Fratri palmae concedis honorem,
Mox Heros tantus, belli fulmenque futurus.
Hi lusus olli fuerant, haec una voluptas,
Magnis proludens gestis Alidosia proles. [14]
Sic acer quondam vitulus, cui cornua nondum
Ardua consurgunt, aequales fronte superba
Provocat ad pugnam, et parvus licet, audet adire
Cominus ille hostem, donec crescentibus annis
Fit taurus, qui vasta implet mugitibus arva,
Et quem tota Ducem subjecta armenta sequuntur:
Haud secus Albricus crescit, crescentibus annis,
Militiamque brevi, Aucutho praeeunte magistro, [15]
Edoctus, toto sic hausit pectore, ut ipse
Discipuli ingeniumque sui, dextramque potentem
Suspiciat, paveatque, assurgit tantus in arma
Dux imberbis adhuc, tanto se turbine vertit.
Magnum aliquid latitans in tanto Aucuthus Alumno
Senserat, ignara nec vidit mente quid esset. [16]
Laeva olli Labor incedit, Vigilantia dextrâ,
(Desidiae, Somnique hostes) contentaque parvo
Sobrietas, puraque accendens pectora flamma
Laudis Amor, reliquaeque omnes ad maxima facta
Virtutes Juvenem stimulis ardentibus urgent.
Frustra ergo Albrico Vitium, et malesuada Voluptas
Tenditis insidias, animos infringere magnos
Aggressa illecebris, atque esca fallere, viro
Infecta occulto, cecidit ferus Annibal olim
Qua victus, magnique Duces (miseranda per aevum

Exempla) et capitur passim qua incauta Juventus.
Haec itaque abripitur dum prono tramite praeceps
In vetitum; atque epulis, et luxu perdita vitam
Transadigit, turpi Lethes mergenda barathro
Turba, pecus veluti, quam gloria nulla sequetur,
Et comes ad nigrum cui dedecus ibit Avernum:
Barbianes contra divino percitus aestu,
Alta animo reputans, vulgo semotus inerti,
Quo virtus ad magna vocat, vestigia flectit.
Non obices illum adversi, non ardua tardat,
Quae superanda via est, ad primos qua itur honores.
Huc animo vigor ingenitus calcaribus urget
Acribus, huc veterum inflammant exempla Parentum, (17)
Huc Mavors agit, illius qui pectore totus
Incubuit; noctuque negat cessare, diuque
Irrequietum agitans. Oculis, vultuque coruscat
Insuetum Albricus spirans. Rem pectore versat
Ingentem, quam sera omnis mirabitur aetas.
A primis temni Italiam jam viderat annis,
Atque a Barbaricis lacerari impune catervis;
Et lacrymas persaepe puer profudit inanes
Nullum esse indignans Italorum ex agmine tanto,
Qui miseram ulcisci patriam, atque indigna ferentem
Auderet, ferroque animas fraenare superbas.
Nec jam bacchandi finis, nec meta malorum
Ulla erat. Usque magis tolerata licentia crescit.
Undique per Latium (18) cocco inflammata furore
Districto volitat ferro gens dira. Cruore
Cuncta madent; agri resonant, et fletibus urbes.
Ergo infelicis lacrymis tactusque dolore
Ausoniae, auxilium frustra quae saepe poposcit
Hactenus, immanem procul hinc expellere gentem
Ultra Alpes statuit patrias, si vota secundent
Dii tanta, et ceptis Mavors ingentibus adsit.
Auspice quo, rigido procudi fulgida ferro

Arma nova [19] ratione jubet. (Nam prisca, Latini
Quae corio contecta Duces tractare solebant,
Haud probat ille satis). Tanti moliminis auctor
Dat proprii ingentem massam Mars ipse metalli
Alte defossam patriis e montibus. Ardent
Nec mora fornaces. Impulsus follibus ignis
Aestuat, et crebro sonat ingens malleus ictu.
Fabrùm tota cohors, validi Ignipotentis [20] alumni
Hinc adsunt, atque hinc nudati brachia, et atro
Sudore infecti, et multa fuligine vultus.
Ac simul inter se curas, operumque labores
Partiti, rapidi celerant; atque ore trahentes
Spiritum anhelanti alterna vice brachia tollunt.
Incudum assiduis resonant tinnitibus aurae.
Ili bifida flectunt candentem forcipe massam
Conuixi, tinguntque unda; gemit unda resultans.
Ast alii lima poliunt, galeasque nitentes
Aedificant, hastasque inimica in corpora ituras,
Arte nova instructas. Ut conspicit Itala tellus
Obstupet Albrici ingenium, mentemque sagacem
Admirata, sibique dehinc meliora spopondit
Fata, ausa afflictis tandem confidere rebus.
Quin cataphractus [21] equus longo redivivus ab aevo
Albrico rursum nobis Auctore videndum
Se dedit, et rapido campos quatit ungue latinos,
Barbaricos vasta straturus caede Maniplos;
Qui nunc insultant (ignara heu corda futuri!)
Nec satis hoc. Veteres recoquit fornacibus enses
Praeterea, clypeosque una, et thoracas ahenos.
Haud quidquam hic operae, nec sumptu parcitur ulli.
Omnibus invigilat Dux providus, omnia praesens
Lustrat, obitque oculis. Resides impellit, et urget
Artifices, ut opus celerent, et praemia spondet.
Acrius incumbunt animis, et viribus illi
Omnibus, atque dies tolerant, noctesque laborem.

Sic quondam aetneo insudant Cyclopes in antro,
Dum summo arma patri properant, phlegraeaque tela;
Perpetuoque ictu Trinacria tota remugit.
Jamque Diis tandem auspicibus rem absolverat omnem
Barbianes, et flamma diu, incudesque quierant.
Nunc animum ergo virûm delectu intendit habendo,
Qui se in bella Ducem, meditataque gesta sequantur.
Nec tantis mora consiliis. Zagonarius Heros (22)
Lectum italae robur glomerat, floremque juventae, (23)
Cui vigor, atque animo virtus, cui gloria cordi est,
Et patriae dolor oppressae, atque injuria ad arma
Suscitat. Acciti gaudent, nomenque volentes (24)
Dant juvenes. Studiis incensi pectus iisdem
Undique conveniunt; dociles et jussa sequuti
Militiam tanto discunt tolerare Magistro.
Vivida quae bello pubes! Florentius unquam
Agmen quis vidit? Tota hâc collecta Caterva
Oenotriae vis est. Nostra hâc stat vita, salusque:
Exiguae numero, ast animae virtute calentes.
Hic Brandolinum (25) simul, Ursinumque potentem,
Tartaleamque vides, Patri dilecta Gradivo
Nomina, et in priscis Latii celeberrima fastis.
Agmine in hoc pariter praeclaro, Attendule, (26) fulges,
A quo Sfortiadum Insubriae generosa Propago
Provenit, egregiique Duces, et Braccius (27) una est.
Ambo pares virtute, licet discordibus acti
Consiliis, tantas deinde exarsistis in iras,
Certantes odiis, et mutua in arma ruentes.
At nunc unanimes, prima florente juventa,
Ambo, Duce Albrico, Mavortis discitis artes;
Ambo in communem nunc tela capessitis hostem
Coetu cum socio, qui jam confligere dudum
Ardet, et ad pugnam e mediis erumpere castris.
Nec Ductor renuit, liquidoque undantia coelo
Efferri mox signa jubet, tibi Dive Georgj (28)

Quae sacrat ille; tuoque e nomine nomen habere
Omnem vult aciem. Palmae stant mente repostae,
Quas alii persaepe Duces ex hoste tulerunt,
Auspice Te; memorant albo Te namque sedentem
Quadrupede a multis volitare per aera visum
Stricto pugnantem ferro, auxiliumque ferentem.
Dux igitur tantam Ausonius spem pectore condens,
Et tibi confisus melius, quam Palladis armis,
Martisve auxilio, mendax quos fabula belli
Tutores statuit, lituo clangente, moveri
Castra jubet; Divumque elatâ in vota vocavit
Voce prior. Divum Legio ter tota reposcit.
Signa ferens, Tiberte, (29) praeis, peditesque sequuntur,
Atque equites. Vasti miscentur pulvere campi;
Astra sonant, pulsuque pedum tremit excita tellus.
Ut si quando feras Venantes, agmine facto,
Immanes statuant antiqua pellere silva,
Saepius unde ruunt vicina per arva furentes,
Ablatumque pecus fleverunt saepe Coloni:
Instructi verubus, longisque bastilibus adsunt;
Et nemus hinc densum cingunt, atque inde, viasque
Obsedere omnes. Curvis anfractibus aera
Rauca sonant; reboantque canum latratibus antra.
Territa prosiliunt e densis bruta latebris.
Caedi inhians Venator agit, versatque. Tumultu
Omnia plena, metuque. Fuga petiere salutem
Pauca; jacent dumis ingenti clade perempta
Pleraque. Victori laeti plausere Coloni:
Haud secus aequatis ad pugnam passibus ibat
Lecta acies. Clypei rutilant, ensesque corusci.
Hinnit equus cataphractus, et huc se obvertit, et illuc
Impatiens. Ductor districto Lughius (30) ense
Per medios equitat discedere ab ordine quemquam
Haud passus. Densa properant, aequaque caterva.
Italides votis matres, oculisque sequuntur

Ancipites, pavidaeque, hostem num vincere possint
Hactenus indomitum, clarove occumbere letho
Pro dulci patria, juvenes in utrumque paratos.
Inter Praenestem, et Pontinae stagna Paludis
In veteri locus est Latio (vicina Marinum
Roma vocat) longae haud distans e moenibus Albae.
Hic se se Teuco tuta statione tenebat
Multa caede madens. Praesefert ore minaci,
Et torvis oculis sit quanta ferocia mentis,
Quantaque commaculent sceleratum crimina pectus.
Infames furtoque sui, stuproque Britanni
Laeva olli, dextraque aderant denso agmine, tanti
Digna Ducis Legio, Italiae teterrima labes;
Barbaricaque acie longe crudelior omni.
Nunc Caesenatum laetatur clade recenti (31)
Illa, ac abductis Volscorum ex arce rapinis;
Atque avida inter se exuvias partitur opimas,
Quum venit Albricus. Vafer ipse eluserat hostem
Per valles, montesque equitans, et rauca silere
Aere jubens, ne adventum sentiat. Ergo cupitae
Dum praedae incumbens inter se dividit, olli
Improvisus adest a tergo aggressus inermem.
Praeses siderea demissus Divus (32) ab arce
Monstrat iter, reseratque vias haud cognitus ulli,
Vim nostris addens animosque, metumque Britannis.
Continuo trepidare illi, ac discurrere castris
Incerti, atque novo perculsi pectora casu,
Qui tumidam modo tollebant ad sidera frontem.
Tunc primum, ut fertur, Teuco est pallescere visus,
Cincta licet rigido starent praecordia ferro,
Insueto armorum cultu (33), et pavefactus equorum.
Praesagit sibi triste aliquid mens conscia fraudis.
Procurrunt acies italae data signa sequutae
Impete in attonitos facto. Mavortia raucum
Classica dant sonitum. Districti protinus enses,

Vibrataeque sonant hastae, clypeique corusci.
Et semel atque iterum (nec enim praesentia Divi
Agnoscunt ora) clatâ Te voce Georgj,
Auxilio exposcunt. Concurrit ad arma Britannus
Illicet, ut collegit se se, animosque recepit
Amissos, et contra acie stat denique structa,
In primo haud paucis conflictu caede peremptis.
Ira, pudorque animos stimulat, cladesque suorum;
Seque dolent astu elusos; Italamque juventam
Hac victam, irrisamque tenus (34) petiisse Britannos
Hactenus invictos ausam. Pugna aspera surgit.
Ceu quondam Aeolio laxati carcere venti
Inter se adversi miscent certamina, campi
Acrii resonant. Radicibus eruta pinus
Sternitur, et terrae quercus perpessa, minasque
Coeli omnes annosa cadit. Magalia nutant;
Evulsasque agris segetes fert aethere turbo.
Hinc metus, inde fuga attonitis immissa colonis,
Et pecori; haud aliter cocco permixta tumultu
Castra inimica fremunt, utrinque ad praelia ventum
Est postquam. Ruit hinc Italus, ruit inde Britannus
Vi tota. Clamore virûm, clangore tubarum
Intonsi reboant colles, vallesque Marini.
Caede rubet tellus. Huic dextra abscinditur ense,
Huic caput; hasta olli pectus terebratur acuta:
Congressique armis propius, non cedere quidquam
Aut isti, aut illi. Stant obnixi omnia contra,
Vulnera quisque pati potius, lethumque paratus,
Quam retulisse pedem. Praestant virtute cohortes
Italicae, numero praestant, usuque Britanni
Bellandi. In cornu steteras, Attendule, dextro,
In laevo Braccj, alipedis spumantis uterque
Insidens dorso. Albricus, cui summa potestas
Est belli, in medio ductor stans agmine, dictis
Cuncta regit, pugnans idem, divinaque mostrans

Exempla. Intrepidus mucrone obstantia quaeque
Perrumpit, sternitque solo. Nemo obvius audet
Sistere. Barbarico rubet ejus sanguine ferrum.
His Italae inflammatae acies vehementius hostem
Ense urgent stricto, jaculisque per aethera missis
Grandinis in morem crebrae. Data jussa sequutus
Tunc cataphractus equus (Bracci, atque Attendule[35] tantum
Demandatum opus est vobis) se immittit in hostis
Hinc latus, atque illinc. Indicta, et tempore eodem
Res acta, et dicto citius. Trepidare Britannus,
Ut sensit (nec enim est declinare ulla potestas)
Territus aspectuque equitum, strepituque tubarum,
Hastarumque sono, quarum vi fusa retrorsum
Agmina tota ruunt, haerere nec ordine possunt.
Ergo, qua disjecta locum dant illa, suorum
Instructo penetrat cuneo Zagonarius Heros,
Per mediosque hostes rapido volat incitus aestu;
Ut leo, qui armentum Lybicis speculatus in agris,
Gaudet hians, tollitque jubas, diuturna fatigat
Nam ventris rabies; atque ungue timendus, et ore
Saevit atrox, mactatque pecus; Catulique parentis
Exciti exemplo tetrum didicere cruorem
Fundere, et a campis pingues avertere praedas:
Haud aliter virtute Ducis commota Juventus
Itala, districto perrumpens agmina ferro
Amplam aperit sibi caede viam. Hinc Attendulus armis
Fulminat a dextro cornu. Venit obvius Ulfo,
Anglorum fuerat quo non audacior alter.
Nec mora, Dux Italus conjecta perculit hasta
Pectora transadigens, simul et calcaribus actum
Quadrupedem super immittit (miserabile visu!)
Franguntur costae; tellus aspersa cerebro est;
Ossa illisa crepant; manes abit umbra sub imos.
I miser, atque animis to nunc audacibus effer.
Dein alios aestu, atque alios impulsus eodem

Dejicit Arburtumque Duces, Tmolumque, Thoumque.
Trajicit his guttur; secat illi tempora ferro.
Braccius hinc contra e laeva ruit aemulus, atri
Nimbi instar. Late, qua praeterit, agmina cedunt
Strata solo; peditumque ferox, equitumque phalanges
Proterit, atque hostes uno tres confodit ictu
Hasta procurrens. Praeclarum attenta notavit
Melpomene facinus, plectroque ad sidera vexit.
At non Musa animo complecti, Albrice, tenaci
Virtutis valet eximiae quae signa dedisti
Innumera hic pugnans, meritaque attollere laude.
Haud pauca obscura jacuerunt obruta nocte.
Cur ingrata rapit tibi tantum oblivio honorem?
Non tamen hic nostro tacitum sine carmine abibit
Qua victor ratione refers ex hoste triumphum
Delecto, vati faveat modo Diva canenti.
Ut Teuco instantes Italos, aciesque suorum
Disjectas dare terga videt; nec posse teneri
Imperio, huc equitans, illucque per agmina, voce
Increpitat magna pavidos, alternaque jactat
Brachia, ut aversos revocet. Quis pectora, dixit,
Terror habet segnes? Italis dare terga Britannos
Non pudet? Ah prohibete nefas; avertite tantum
Dedecus; et vestris jam victos saepius armis
Vincite nunc pariter. Memoranti talia torvi
Igne micant oculi, et partes se vertit in omnes
Spumeus, insano similis, similisque furenti.
Instauratae acies paulum, obversaeque steterunt
Talibus auditis, atque extrema omnia tentant
Annixae. Prior ipse, potest quo robore iniri,
Pugnam iniit. Tamen Ausonii non segnius instant
Victores; praeit Albricus, quem Teuco ruentem
Per medios, totisque edentem funera campis
Ut vidit, laxis in eum se immittit habenis.
Quo ruis infelix? Ulcisci fata tuorum

Dum te posse putas, petis ipse miserrime mortem,
Crimine quam laesi superique, hominesque reposcunt.
Ah fuge congressum, atque instanti te eripe fato.
Sed nihil ille audit; furiisque impulsus iniquis,
Ore ardens, oculisque invisum fertur in hostem.
Aspicit Albricus venientem, atque ense minantem
Fulmineo. Alipede obverso, venit obvius ultro
Laetus, ovansque sinu sibi sponte occurrere, dudum
Quem jam quaesierat. Dirum certamen utrinque
Exoritur. Nunc state viri, Dux Italus alta
Exclamat voce. Haec omnis mea pugna, meumque
Discrimen. Teuco haec eadem, nutuque jubebat,
Protentoque suis ferro. Desistitur aegre
Incepto. Stetit aspiciens exercitus omnis.
Hinc Furor, hinc Virtus. Veteranus Teuco, dolisque
Venit confidens. Animo, viridique juventa
Albricus melior. Falcatum versat uterque
Ensem. Tum propius congressi, et torva tuentes,
Haud mora, prosiliunt, et crebros ictibus ictus
Congeminant. Colles strepitu, vallesque resultant.
Scintillant galeae, calefactaque tela. Vicissim
Nunc sistunt, tacitoque obeunt se lumine, circum
Nunc equitant rapidi, atque alternis orbibus orbes
Impediunt. Simulant hac se se invadere parte,
Ex alia invadunt vento velocius. Anceps
Pugna diu. Neuter supereminet aemulus armis
Aemulum; at arrepto tandem Donogalius Heros
Tempore Teuconem sublato perculit ense,
Vi tota feriens, demissoque altius ictu;
Diffideratque caput medium, nisi ahena resistat
Cassis. Fulmineo crepitant sub vulnere malae,
Emotique illi penitus sunt ordine dentes.
Ergo dolore actus, penitusque effusus in iras
Teuco, quando videt superari haud viribus ipsum
Posse, vel ingenio, consuetas callidus artes

Versans, quadrupedem meditatur sternere, cujus
Insidet Albricus dorso, tellure jacentem,
Prostratumque dolo telis ut conterat hostem
Ipse eques ex alto pugnans. Et Barbarus ecce
Elato caput alipedis mucrone petebat.
Dux Italus laeva venientem praevidet ictum,
Declinatque celer dextrorsum lora retorquens.
Irrita vis cessit, vacuas et perculit auras
Teuco, qui feriturus equum dum cernuus instat,
Pronusque incumbit, clypeo abscedente, retexit
Semet, nec sensit. Confestim Alidosia proles
Irruit in vafrum, qua mucro pervius, hostem,
Et longum immani diffindit cuspide ventrem;
Nec jam persequitur lethali vulnere victum.
Heroi satis est Italo potuisse Britannum
Vincere; nunc abeat nigro devotus averno.
Ille autem manibus labentia viscera utrisque
Sustentans dum tuta petit, vexilla ferentem
Tibertum [36] offendit, cujus populaverat agros
Clade in communi Teuco, matremque necarat
Haud pridem. Subitam exarsit Tibertus in iram
Ut videt; extinctae subiit genitricis imago;
Nec se se tenuit. Ferro caput amputat hostis
Jam labentis equo, longaque infigit in hasta,
Totaque vociferans circumfert undique castra.
Ast inimica acies, pugnae quæ pauca superstes
Sanguineae extiterat, simul ac Teucona cadentem,
Turpantemque cruore solum perterrita vidit,
Et caput exangue agnovit, pallentiaque ora,
Praecipiti dat terga fugae, conata saluti
Prospicere: et totis e campo aufertur habenis:
At frustra. Assequitur palantes Cunius Ultor; [37]
Obtruncatque pecus veluti. Non effugit ullus [38]
E manibus, cladem patriis qui nuntiet oris.
Horror ubique ingens, et plurima mortis imago;

Atque hostis tantus jacet altus caedis acervus.
Nec dum haec audit, degeneres dolet Anglia natos
Amisisse, sinu e proprio quos expulit olim,
Et magna indignos jussit procul ire Parente; (39)
Anglia bellipotens eadem, legumque severa
Vindex, quae nunc arma movens terraque, marique
Aemula Romanae Virtutis sustinet una
Tot Reges, Asiaeque simul, roburque potentis
Europae, ac nostro Americam procul orbe jacentem.
(Res utcumque cadat, laus facti aeterna manebit)
Altrix Heroum Heroes amat ipsa; colitque
Nunc ex Albrici praeclara stirpe nepotem
Progenitum Ludovicum, Augusto ab Caesare missum
Ad se legatum; Ejus eunt, et nomine puppes (40)
Per vada Neptuni tutae, fluctusque sonantes,
Divite merce graves, vis unde est maxima regno.
Hi sensus Dominae pelagi spumantis; abestque
Tantum, Victori irato ut succenseat ore,
Quin etiam laudat, qui crimina foeda suorum
Ulcisci norit, libertatemque Latinam
Asserere. Albricus deletis clade Britannis
Constitit, et circum tacitus cava lumina volvit,
Vix tantum potuisse ratus sine numine Divûm.
Vim sibi ab aetherio demissam agnovit olympo;
Et pius exuvias aris suspendit opimas.
Quid non sperandum Ducibus, sanctissima Praeses
Queis est Religio? Omnipotens regit omnia Numen
Arbiter axe sedens pacis, bellique Supremus;
Alternatque vices inopum, Regumque potentum.
Victor io, tibi io grates sint, Dive Georgj,
Vociferans, Tiberte, prior laetissime clamas
Ultos ob patriae manes; exercitus omnis
Quem sequitur; laetumque canunt, Albrice, triumphum
Magne tibi. Magni nomen manus indidit omnis,
Virtutisque tuae spectatrix Itala tellus.

Nomen adhuc servas, totum et servabis in aevum.
Sic quondam Alcidi sacrum poeana canebat
Victori Arcadia, est Erymanthi libera postquam
Ejus ope horrifico monstro. Vastabat apricos
Torvus aper campos; pecorique, satisque ferebat
Excidium; agricolûm generi nec dente pepercit
Vulnifico. Advenit tandem Tyrinthius ultor,
Et clava aggressus nequidquam dira frementem
Sternit humi exanimem. Pastores forte propinquo
Pascebant in monte greges; et praelia dira
Cernentes procul, et frendentem dentibus aprum
Intentis haesere animis. Trepidantia pulsat
Corda pavor; tantoque viri in discrimine pallent.
Ut vero extinctum videre, soloque jacentem,
Quem toties timuere greges, timuere coloni,
Laetitia exultans certatim rustica pubes
Circumfusa ruit mirata immania membra.
Evellunt setas, horrendaque guttura pandunt;
Dein haec Victori laeta modulantur avena:
Armipotens Heros salve, Jovis inclita proles,
Quem coetu ex hominum virtus ad sidera tollit
Divina; et meritis aequum nil reddere quando
Possumus, has saltem, quas solvimus, accipe grates.
Tu namque hos colles, tu nota haec pascua reddis,
Et calamo nobis permittis ludere agresti.
Ergo Deos nobis in vota vocaberis ante
Omnes, atque tibi solvemus dona quotannis,
Solvere quae tenuis patitur fortuna. Cruore
Populeas aras sparso tener imbuet agnus
E grege servato. Optatam nisi namque tulisses
Dexter opem, immanis quoque monstri hic praeda fuisset.
Haec illi. Spoliis Heros indutus opimis
Victor ovans alia ad praeclara celerrimus ibat.
Hunc tantûm haud olli satis est egisse triumphum.
Magnae magna Animae, majoraque semper anhelant.

Partem ergo ingentem vastae telluris obivit,
Expurgans monstris, queis nil deformius unquam
Humanum genus aspexit, trepidumque refugit.
Ille face, et ferro Lernaeum sustulit anguem,
Sibila det licet, attollens septena veneno
Turgida colla nigro; Nemeaeque Leone perempto,
Stymphalidumque grege, immanem telluris alumnum
Dat letho; patrioque Cacum congressus in antro
Sternit ructantem vastas e pectore flammas.
Quid Cervam memorem Aeripedem, pastosque cruore
Humano Diomedis equos, tripliccmque necatum
Geryonem, clypeos, bis ternaque tela moventem?
Quin stygias etiam sedes, et regna perenni
Squallida nocte petit rapturus in arcta trifaucem
Vincla Canem, nigri e solio Plutonis abactum.
Si qua autem restant, densis se monstra latebris
Tecta tenent, tetros haud ausa ostendere rictus,
Vel fugere accelerant. Urget Tyrinthius Heros.
His ille, atque aliis clarus petit astra triumphis,
Accumbitque Deùm mensae, ambrosiaeque potitus
Est cyathis, coelo quos haurit Juppiter alto.
Haec nempe effingit sapiens commenta vetustas
Humanum genus ad magnos hortata labores.
At nihil effictum de Te, sed vera canemus
Omnia Barbiane. Tu laetis plausibus omnis
Italiae exceptus, deleto caede Britanno,
Quo non ulla lues, nec monstrum tetrius unquam
Extitit, haud una contentus tempora lauro
Cingere, festinas alia ad praeclara; solique
Italici Alcides mage verus, gloria olympo
Quem mage vera manet, virtuti debita tantae,
Exuviisque auctus, quo vindex Numen agebat,
Huc ardens, illucque volas victricibus armis,
Oenotriae reliquos straturus clade latrones.
Quis strages fando innumeras, quis praelia possit

Omnia complecti, vel gesta aequare canendo?
Illyrici, Celtaeque cadunt. Dant sanguine poenas.
Flumina caede rubent. Audet consistere contra
Jam nemo. Audito Albrici, auditoque Georgi
Nomine, Barbaricis formido incussa Maniplis,
Et fuga. Reliquiae, e vasta quae clade supersunt,
Tantae pestis adhuc, trans altas protinus Alpes
Se se proripiunt; praedamque, solumque Latinum
Invitae linquunt, pavidaeque. Egressus ab antris
Haud aliter Scythicis ursus, clamoribus actus
Pastorum, et crebris perterritus undique telis
Lustra petit patria; et taurum dimittit, adunco
Quem tenet ungue, ratus fauces explere cruentas.
Ac veluti brumae pulso squallore, tenebat
Omnia qui circum tetra caligine mersa,
Si nostrum propius (41) titan se attolit in axem
Flammivomo curru, redimitum tempora flore
Ver redit; atque novus terris se se explicat annus.
Dulce strepunt liquidi fontes; arguta volucrum
Turba canit ramis; excita tepentibus auris
Gramine terra viret; vestit se frondibus arbos
Laeta novis; mutata omnis natura renidet:
Haud secus, Albrice, Italiae, Te vindice, moestae
Immutata nitet facies, pulsoque dolore,
Et lacrymis, hilari visa est se attollere fronte,
Heroi tibi Diva suo vultuque, manuque
Plaudens, et meliora dehinc sibi fata spopondit.
Nec Divam spes tanta animo concepta fefellit.
Namque ut Barbaricae ferro cecidere phalanges,
Et jacuere avium turmae data praeda voraci
Late per campos, Virtutes agmine facto
Laetae ad nos redeunt, Vitiis abeuntibus atras
Cocythi ad tenebras, infernaque limina. Prisco
Stant sacra Jura loco. Violentia pellitur. Artes
Palladiae surgunt. E divite copia cornu

Fundit opes, quas dextra rapax non auferet. Agnae
Pascua jam repetunt, opera intermissa coloni.
Fruges culta refert tellus. Hinc turpis Egestas
Exulat, atque Fames. Coelo Themis aequa sereno
Descendens, unâque soror Pax candida, oliva
Flavum cincta caput concordi foedere nectunt
Italiae inter se Dominos, ne jurgia regnent,
Contentique suis ne aliena invadere jura
Conentur. Divûm pepigit quam dextra, stet ergo
Firma Fides. Verum si quis prior audeat armis
Bella inferre crebi saeva deceptus Erynne,
Impulsusve, magis quae saeva, Libidine habendi,
Infelix (moneo) caveat. Zagonarius ultor,
Quam sancit bello pacem, pellendo latrones
Hinc procul externos, stabilem servabit eandem
Illato huic bello, qui ruperit improbus, ullum
Haud latrocinia exercere domestica passus.
Bentivole audistin? Subitos cur ergo tumultus
Stulte cies? Rupto Italiae cur foedere ad arma
Conclamas? Gravibus distentum Insubria rebus
Dum tenet ALBRICUM, illius ditione potiri (42)
Posse putas. (Agit effroenem te coecus habendi
Ardor) Barbianisque invadens oppida totis
Viribus oppugnas, ut cedant victa, tuoque
Imperio adjungas: at spes te vana fefellit.
Talibus auditis rapido velocior Euro
Huc emensus iter, coetu stipante suorum,
Advolat ALBRICUS. Temet certamine fundit (43)
Sanguineo. Fugis ipse; gravis sed Felsina dudum
Jam pertaesa jugi crebro te vulnere mactat.
Infelix! aliena avido dum pectore poscis,
Amittis propria, et dulcem cum sanguine vitam.
Hinc nimia addiscant Cupidi compescere vota.
At tu felici posthac magis omine sacros
Felsina ROMANO submittis libera Fasces (44)

Pontifici, quem saepe juvat Donogalia proles
Ejus dein sacris decorata insignibus (45). Ausu,
Roberte, (46) infando Petri conscendere sedem
Non metuis, primosque tibi deposcere honores
Proh facinus! temploque sedes, fumantiaque aris
Sacrilega das thura manu, quae lumine laevo
Despiciens Numen coelo aversatur ab alto.
Quisque bonus luget; laetae bacchantur Erynnes,
Umbrarumque pater, tanti qui criminis auctor
Extitit. Ille sacrum eheu! seditione Senatum
Dividit. Ille eheu! oppresso Pastore, Lupoque
Obtruso, lacerare pium conatur Ovile.
Sed frustra. Albricus properat. Praecordia flammis
Urit Religio, et Diae hortamenta Puellae (47)
Acrius incendunt animum. Victricia signa
Vix ille explicuit, pulso procul inde Latrone, (48)
(Huc anceps fugit, atque illuc, metuensque saluti)
Romano sacra templa Patri redduntur, et arces.
Laetatur tellus; depulsis ridet olympus
Nubibus. Urbs tota ingenti venit obvia plausu
Victori. Auget captivus Monzoja triumphum.
Pluto fremens ambo sibi labra dolore momordit.
Haec monumenta tui servant aeterna Nepotes (49)
Qua Belgiojosii regali splendida luxu
Atria collucent. Oculis rem subjicit omnem
Hinc paries, atque hinc, signis extantibus, (50) arte
Mirifica exculptis, docuit quam Dia Minerva.
Hàc ferro ruis adversos armatus in hostes.
Bellicus ore furor rutilat; vivumque putarem,
Ni immotum cernam. Fusi dant protinus hostes
Terga, caduntque solo, captique in vincla trahuntur.
Hàc victor Romam ingrederis, Capitolia lauro
Praecinctus veterum ut scandas de more Quiritum.
Tunc factus Te ipso es major. Jam tempore ab illo
Omnibus una salus, Albrice, atque omnibus unum

Es columen. Quocumque tuas invicte phalanges
Ducis, te certo sequitur Victoria gressu;
Arbiter Italiae factus, fortissima jungis
Agmina si Venetis, [51] vincunt Veneti. Adria testis;
Si vero Anguiferis, prostratos illicet hostes
Anguiferi videre Duces [52]. Victoria, honosque
Hinc partus tibi merces est satis ampla, superque. [53]
Interitura animae viles sibi praemia poscant.
Atque tui haec utinam sequerere exempla Magistri,
Braccj; nec regni alliceret te stulta cupido;
Nunc equidem haud fato functus miserande jaceres. [54]
Non sibi Barbianes pugnat. Communia tantum
Commoda sectatur Patriae. Stat martia virtus
Ejus in hoc tota, ut victricibus adjuvet armis
Oppressos fato, auxilium quicumque reposcat,
Oenotriae vindex, et libertatis avitae.
Hanc aegre, Roberte, [55] ferens, inhiansque feracis
Agris Insubriae, Bavaris armatus ab oris
Castra moves, Dominum [56] e sede ejecturus avita.
Et jam Tridentum, atque Alpes transgressus, in agro
Cenomanorum [57] tumidus tentoria figis
Barbara. Benacus [58] pavidum caput abdidit undis.
Jam fragor armorum auditur, clangorque tubarum
Fit propior. Metus Insubres late occupat omnes:
At non Albricum. Movet ille assueta triumphis
Agmina te contra: et propriis, Sociûmque catervis [59]
Qui fidens, ipsum sperabas vincere, victus
Discedis virtute itala. Pudor occupat ingens
Vultus, et repetis patrias inglorius oras
Insubriam linquens conspersam caede tuorum.
At vix Albricus, pulso procul hoste, tumultus
Sedarat tantos, tellusque latina quierat
Jam tandem, fruitura optatae munere pacis,
Cur heu! Parthenope justos experta furores [60]
Barbianis, nova bella moves, expellere Regem [61]

Sedibus ausa tuum? E medio fugit ille tumultu
Elapsus, prima adspergens lanugine malas.
Hinc Soror, ut celeret gressus, hinc anxia Mater
Sollicitat. Legio comitatur fida suorum.
Dux premit Andegavùm, Proceresque rebellibus armis.
Nulla malis est meta; in praeceps cuncta feruntur.
Nec Ladislao tautis ex urbibus unam [62]
Cajetam praeter belli sors laeva reliquit.
Infelix, quid agat? Quis opem discrimine rerum
In tanto ferat afflicto? Haud jam obsistere contra
Vis potis ulla. Metus Cajetae ad moenia fertur.
Ergo quae superest olli spes una salutis,
Ad se Te, Albrice, [63] accersit; tibi summa potestas,
Imperiumque datur belli. Conversio rerum
Quae subito est facta! Ingenti cum murmure quondam
Ut surgens Aquilo nigrantem ex aethere nimbum
Depulit, excussa rutilat caligine phoebus:
Haud, Albrice, secus veniens mavortia postquam
Confers signa, tumens fastu non sustinet hostis
Impetum, humi fusus. Convertit terga supremus
Dux ipse Andegavùm; conjurataeque phalanges
Barbiano caesae ferro dant sanguine poenas.
Est ingens uno partum certamine Regnum.
Omnia Victori cedunt, et fronte rebelles
Submissa accipiunt Regem. Jam moenia pandit
Parthenope. Arx, cunctis cedentibus, una resistis?
Inconsulta! putas quae posse obsistere, nemo
Unquam cui potuit. Victor Dux ergo superbam
Expugnare parat dura obsidione. Vehuntur
Pondere tarda gravi, carrisque gementibus acta
Tormenta interea, ac muralis machina turres
Aequatura solo, et necis instrumenta cruentae,
Ballistae [64] aere graves, ac saxifragae catapultae.
Magnum fervet opus. Stant muros agmina circum
Ordine disposita, in varios divisa maniplos,

Quisque suum sortitus opus, sua munera quisque.
Certatim hi terram rapidi, fossasque profundas
Effodiunt, hi vallum, et propugnacula firmant.
Pars agit excubias vigili statione sub armis,
Ne quà improviso, facto in nos impete, ab arce
Erumpant hostes. Altis e moenibus illi
Igne aggressores, telisque frequentibus urgent
Desuper immissis simul, horrificisque molares
Ballistis jaciunt, opera ut jam cepta morentur;
Incassum tamen, educto nam denique vallo
Albricus propius muros, arcemque superbam
Tormentis quatit admotis; catapultaque crebro
Cum sonitu laxata fremit noctesque, diesque.
Fulminei volitant ictus; immissaque saxa
Aethera per liquidum ingenti stridore feruntur.
Nec datur obsessis coelo consistere aperto.
Ingruit usque poli lapidum e regione cadentum
Grando; nec possunt clypeorum tegmina tantos
Ferre ictus. Ille effracta cervice recedit
E muris, femur huic elisum, huic dextra pependit
Ossibus abruptis. Arcis dum Praeses ab alto
Jussa loco daret, en venit lapis aethere stridens
In faciem impactus. Retro ruit illico. Mentum
Est ipsi abruptum, ac contusae vulnere nares.
Multa gemens vomit immixtos cum sanguine dentes.
Circumstant famuli, propericque in tuta reponunt,
Si qua paeonia vulnus queat arte mederi.
Haec inter pice conspersae (mirabile dictu!)
Ballistis jactae ardentes in moenia taedae
Turrim inflammarant. Volvuntur ad astra favillae
Fumo intermixtae. Tota trepidatur in arce,
Moeniaque icta labant, laeva lapsumque minantur.
Ergo infelices, aliud videre saluti
Effugium quando nullum, et verti omnia ad hostem,
Infensis sibi coelicolis, se dedere tandem

Victori statuunt. Portae panduntur. Inermes
Hostes egressi, submissaque signa ferentes
Se se prosternunt, veniamque ab Rege precantur.
Dat Rex, orante Albrico. Quid deneget illi,
Omnia cui debet? Regnum, servataque ab ipso,
Ladislae tibi vita est; donisque fateris
Te gratum, effusa impertis quae regia dextra (65)
Barbiani, tribuens larga ditione potiri,
Qua montosa aperit pingues Apulia campos.
Nec satis hoc. Addis laudes, atque addis honores
Praeterea omnigenos, gaudent quo munere tantum
Magnanimi Heroes. Regisque exempla sequuta
Omnis Parthenope ingenti laetissima plausu
Excepit reducem. Pueri, innuptaeque puellae
Victori laetum Albrico poeana canebant
Vocem alternantes, alternantesque choreas
Nunc hi, nunc illae. Resonat clamoribus aether.
Visendi studio e portis effusa juventus
Obvia se tulerat. Capiunt nec gaudia finem.
Invidia obliquo cernens haec lumine, stridet
Interea, atque atro rodit se livida dente.
Barbianes ipsa major festinat ad urbem
Agmine Virtutum cinctus, populique faventis.
Italiae Genius serta illi laurea texit.
Fama ibat celeres quatiens per nubila pennas,
Spargebatque tubâ cuncta haec per regna, per urbes.
Albrico Italia, Albrico jam personat omnis
Europa. Ingeminant Reges, Populique frequentes (66)
Albrici nomen Magni, atque ad fulgida tollunt
Astra. Bonis carus, formidatusque scelestis
Huc Tu conscendes, mortale exegeris aevum
Longaevus postquam. Magno quaesita labore
Hic tibi parta quies; hic lauri haud fronde caduca
Tempora praecinget celsi tibi Rector olympi:
Praecipuoque loco statuet, celsaque locabit

Sede magis. Manet Heroes haec gloria coelo [67]
Major, communi qui insudavere saluti;
Nec timuere suo patriam servare periclo.
At nos qui tanto servati vivimus hoste;
Atque decus priscum quibus est, et reddita virtus
Per Te; Italique omni celebres evasimus orbe,
Usque tuum nomen memores Albrice, canemus;
Grataque Posteritas attollet laude perenni.

Haec mihi quae exciderant agresti carmina avena,
Dum veterum annales volvo, ac monumenta virorum
Admirans, tenebris penitus se tecta tenebant:
Namque pudor male compta palam prodire vetabat.
At Socii ut superas edam me hortantur in auras,
Mirari Insubriae ut discat praeclara Juventus
Barbianae Heroem prognatum e sanguine Gentis,
Urbs quam nostra sinu jamdudum [68] laeta recepit,
Et fecisse suam, et decorasse Propagine gaudet
Se eximia, Heroas quovis quae protulit aevo; [69]
Et Libertatem debet cui Oenotria tellus. [70]
Arboris Illa instar celsae, quam tarda senectus
Haud incurvat humi, nec dente arrodit edacl
Longaevam caries; solido sed vivida trunco,
Tot perpessa hyemes, viget usque, decoraque fronde,
Pomisque uberius: per tot jam saecula longam
Heroum seriem haud progignere desiit, aevi,
Et fati victrix. Adeo Dis cara propago
Barbianum, Albricus quam inter ceu stella refulget.
His Socii hortantes vicere. Haud plura moratus
Memet dedo volens. Sint haec quaecumque, videnda
Se praebent, ausa e latebris in luminis auras
Egredier. Nec quilibet illa, nisi unus habebis,
Albrice, Imperii sacris insignibus aucte
Romani. Tua res penitus quippe omnis, eodem
Nomine nam fulges, et sanguine cretus eodem es.
Quin tu prae reliquis colis hunc Majoribus unum

Maxime, et ad superûm sedes ostendis euntem [71]
Pictura effingens, vivisque coloribus, aulae
Se se regificae qua fornix aureus effert,
Aedibus in mediis, nitidas quas marmore, et auro
Attollis nuper, dignas Te Principe, et ingens
Huic urbi decus adjungis. Non prodeat ergo,
Illum quae cecinit, mea musa? Inculta sit ipsa
Quamvis, se sistit tibi tuta. Sub Auspice tanto
Nil est, quod paveat, magno quem Caesar amore
Dignatur, meritoque quidem. Tua cognita virtus [72]
Olli, et magnanimi fratris [73], sobolisque vetustae, [74]
Virgiliano omnis celebrari barbite digna:
Quamque ego, si Superi annuerint, optataque Musae
Otia concedent, plectro conabor ad altum
Ferre polum, merita percurrens singula laude
Nomina, primaevae repetens ab origine Gentis.
Hinc Raincrus enim prodit [75]; non ille priori
Sede tamen. Vetus hunc series praecedit Avorum.
Hinc Bandezatus [76], proprio qui sanguine jungit
Estensem. (Quod longa sacrum post saecula foedus
Ictum, Albrice, iterum tibi juncta cernimus Anna,
Quam fles [77] heu dolor! immaturo funere raptam,
Atque omnis tecum infelix Insubria flevit:
Solamen moriens aegro tamen Illa reliquit
Egregiam sobolem, spes unde est multa nepotum,
Per quos antiqui Italiae reddentur honores.)
Hinc sapiens Guido [78]; hinc galea spectandus, et hasta
Albrici frater, Joannes [79], Martis alumnus,
Et fulmen belli. Illius quis carmine gesta
Complecti valeat? Sonat immortale per orbem
Ejus adhuc nomen, delebit longa nec aetas.
Hinc Petrus Lybiae terror [80], Lodoixque [81] Minervae
Unus amor, saguloque idem [82] praeclarus, et armis;
Rinaldusque, Ugoque [83], et Bernardinus uterque. [84]
Hinc cum praeclara Balduinus prole [85], Ravennae

Cui muros datur antiquos, portasque tueri.
Carolus [86] hinc Ductor pelago metuendus etrusco
Sfortiadum cum classe venit. Fusignanius una est
Andreas [87], Marcusque [88], ingensque Alidosius [89]. Isto
Manfredum [90] in coetu, Rafaldinumque [91] potentem,
Lambertumque [92] vides. Hic lauro, hic comptus oliva,
Ille hostis spoliis auctus. Supereminet omnes
Prole parens felix tanta Eberardus [93]. In ore
Regia majestas sedet olli; longaque mento
Barba cadit. Medium hinc illinc tenuere frequentes [94]
Communem nati patrem, auctoremque priorem
Totius generis. Videor mihi cernere Divûm
Cum Jove concilium, longo quos ordine nemo
Enumerare queat, laudesque aequare canendo.
Omnes illustres animae, quas Fama perenni
Esse loco statuit, lethaea nec obruet unda.
Hic quoque sacra Deo soboles, castaeque puellae, [95]
Lilia queis manibus, queis circum tempora vittae,
Aucturae numerum Divarum, arisque locandae;
Matronaeque Ducum conjunctae sanguine fulgent,
Et qui Vastallae [96] quondam, et qui fraena Ravennae [97]
Viglebanique [98] urbem, et Patavi tenuere vetusti. [99]
Dein aliae, atque aliae [100], et Colubrum [101] quae insignibus albam
Et quae Aquilam [102] praefert; nec non Donogalia proles [103]
Nec non Sfortiades [104]; tum Wolchensteuia [105] fronte
Se ostendit laeta, et cui pulchra Faventia [106] cordi est,
Et quam Guidorum [107] genuit gens inclita bello;
Heroinae omnes, quarum sacra nomina fastis
Mnemosyne [108] retinet; Polyhymnia [109] ad aethera tollet.
Harum stirpe, Ducum tot ducta e sanguine, creti
Huc propiore loco veniunt, se seque videndos
Dant avus, et pater [110], Imperii cui insigne decorum
Additur, auratumque e collo in pectora pendet
Vellus, ab augusta huic merito data munera dextra,
Sedit cesarea qui Consiliarius aula.

Haec, Albrice, domi veterum monumenta Parentum
Servas; haec animum stimulis ardentibus urgent
Usque tuum, illorum nulli virtute secundus.
Haec circumspiciens pendentia pariete, vultus
Saepe recognoscis varios, et gesta Tuorum.
Una tibi ante alios animo tamen altius haeret
Magni, quem cecini vates, Herois imago.
Haec tibi cunctorum, Augustique ipsius amorem
Conciliant. Nostrae tutela sit ista Camoenae;
Qua freta Italiae audebit volitare per oras,
Nil emissa timens infenso spicula ab arcu.
Omnia tam valido protecta umbone retundet.

ANNOTATIONES

(1) Graphicam habes, vivisque coloribus expressam Italiae tunc temporis infelicissimae imaginem apud Franc. Petrarcam ejusdem aevi Scriptorem in Exhortatione de Pacificanda Italia ad Carol. IV Imper. *Finge nunc animo,* inquit ille, *almam effigiem videre, Matronam aevo gravem, sparsa canitie, amictu lacero, pallore miserabili ita tecum loqui: Ego olim multa potui, multa gessi... Asiam, Aphricam, Europam, totum denique terrarum orbem bellis, et victoriis peragravi... Inde sensim, nescio quonam modo, irrepsit segnities; et ne lacrymabilem ordiar historiam, quorsum me redegerit vides.*

(2) Ceteris omnibus omissis, unum hujus rei testem oculatum, eundemque locupletissimum tibi affero Franc. Petrarcam, qui cum alibi saepe, tum in Epistola ad amicum aetatis suae calamitatem deplorans ait: *Omne in praecipiti vitium stetit, inquit Satyricus. O simplex aetatem nostram certe non videras. Nunc in praecipiti vitia substiterunt, ut jam transiri ulterius non possit. Quidquid Historicorum labor, quidquid Tragoediarum gemitus in nostram pertulit notitiam, minus fuit, quam quod oculis videmus. Quod apud illos cothurno dignum scelus erat, apud nos jam veniale peccatum est... Non fabulas agam; dicam monstra, quae vidi, quibus infectos oculos, atque aures habeo. Non unus Furens Hercules, non una Thyestis Coena, non unus monstruosus, foedusque, concubitus, non una discordia inter avaros fratres, non unus innocentis osor, non unus mactator Conjugis, Matrisque, non una profugae parentis impietas ac libido, non unus imperio patris discerptus Hippolytus.... Quae ab aliis undique conquiruntur; hic passim in triviis occursant. Ego scribam, Veritas dictabit. Humanum Genus testabitur. Judex esto Posteritas... Vale, et te felicem scito, quod hinc abes.*

Ad Agapitum vero Cardinalem Columnam sibi amicissimum scribens haec prae ceteris habet: *Publicum malum est.... Sic est hodie. Certe sic vivitur, eoque criminum, ac furorum ventum est, ut procedi ultra non possit.... Nunc nunc impletum est, quod ante tempus dixerat Satyricus. Omne in praecipiti stetit.*

(3) Quam turbulenta fuerint, et bellicis tumultibus plena ea tempora, et quam crebro rebellione facta, sumptisque armis dominationem mutaverint Italiae urbes, referunt cum veteres, tum recentiores

historici, atque in his Carolus Denina, vol. II operis, cui titulus *Rivoluzioni d' Italia*.

(4) Ita dicta Italia ab Oenotro antiquissimo ejusdem Rege.

(5) Pestilentum horum hominum, qui Societatum nomine Italiam modis omnibus dilaniabant, mentionem faciunt Scriptores illius aetatis ad unum omnes. Morerius in suo Lexico, gallice conscripto, patrio eos solo ejectos fuisse dicit verbo *Albric. IV*. Consule *Glossarium Du Fresne* et *Du Cange* verbo *Societas*. Giulinum *Continuazioni delle Mem. di Milano ne'secoli bassi*. Matthaei Villani, et Petri Azarii Chronicon apud Lud. Murat. Rerum Ital. Tom. XVII, ubi *enormia per hos a maribus, enormia a foeminis, horrenda dictu, terribilia, et inaudita exacta fuisse narrat*. Vide etiam Annales Mediol. apud eundem Murat. et praecipue caput CXII quod iscribitur *De Viris Pestiferis, qui dicti sunt Societates*, ex quo pauca haec decerpsisse sufficiat: *fuerunt homines absque jugo, absque Rege, absque lege, viventes de rapinis, nulli parcentes aetati, et docti ad omne scelus .... nocte vigilant, die dormiunt*. Lege et Leodrisium Cribellum, et Josephi Ripamontii Hist. Med. Lib. III, Cap. III. Carolum Denina Vol. II *Rivoluz. d'Italia*. Instar omnium tibi sit Franciscus Petrarca, qui cum alibi saepissime, tum in Hort. ad Nic. Laur. Trib. P. Q. R. de his ita loquitur: *Vos famelici luporum greges obsident ... Sub paucorum tyrannide jacuistis, adventitios habuistis, decoris vestri, fortunarumque raptores ... Ii laceratas Reip. reliquias carptim in speluncis, et infandis latrocinii sui penetralibus congesserunt ... Nec pudor, aut miseratio, pietasque continuit, quo minus impie spoliata Dei templa ab his fuerint ... et in pontes, et in moenia, et inmeritos lapides desaevirent ... In hoc hominum genere, seu potius belluarum, dicam quod sentio, omnis severitas pia, misericordia omnis inhumana est ... Cogitate quis licentius rapiat, spoliet, laniet, spargat, occidat*. Hactenus Petrarca lenis ceteroquin homo, et pius.

(6) Harum Societatum originem, numerum, robur, nomen videre est cum Chronicon Matth. Villani, Annales Mediol. aliosque multos, quos omitto, tum apud Carol. Denina Vol. II, Lib. XV, Cap. V *delle Rivol. d'Italia*. Tres praecipuae fuere Vasconum, ut dicebant, Britonum, et Comitis Landi. Vide quoque Leand. Albert. in sua Italiae descriptione, qui pag. 319 has Societates quadraginta fere millibus hominum constitisse affirmat. Quot heu! Scopuli, ac Reip. voragines! ut inquit Cicero in Pis.

(7) Quot, quantisque stipendiis Italiae Principes, et Respub. Societates istas conducere consueverint, ut earum armis invicem de principatu contenderent, et quam saepe datam iisdem fidem fefellerint, vide apud eundem Carolum Denina Vol. II *delle Rivoluz. d'Italia*, et alios passim.

(8) Brevem, si lubet, orationem perlege Franc. Petrarcae ad veteres Rom. Reip. Defensores. Pauca haec in rem nostram attulisse

sufficiat. *O libertatis, et impudicitiae ingens ultor Brute utinam viveres... O gloriose Camille, qui nostro sanguine despumantem transalpinam rabiem in ipsis adhuc fumantibus Reip. cineribus extinxisti, utinam viveres, tecum loquerer... O Paule Aemili, qui Reges Macedonum adversus Italiam rebellantes vinctos ante currum in Capitolium egisti, utinam viveres, tecum loquerer... O Marj... O Magne Pompej, qui praedonum catervam domuisti, utinam viveres, tecum loquerer, et precarer, ut Italiam tuam nova praedonum manu miserabiliter inquinatam solita virtute purgares... Nunc quid agam?... Et loqui oportet, et cui loquar non invenio. Effundam voces in nubila. Si quis forte amicior spiritus ad aliquam generosam aurem perferat, ubi fructificent, ut cupio potius, quam spero. Quid enim reliquum est? En parva praedonum manus ex mille collecta fornicibus terrarum omnium victricem Italiam sibi provinciam depoposcit. Heu! Quisnam consulet pudori nostro? Itaque postquam nulli hominum loqui juvat, ad te ultima, et spes maxima mortalium preces verto. Si Creator omnium etc.*

(9) Sinna Aemiliae amnis. Alii Seninm vocant. Barbianum, et Lugum alluit, aliaque multa oppida, arcesque munitissimas, in quibus olim dominabantur Cunii Comites, nunc Barbianii, et Belgiojosio-Atestini Principes appellati.

(10) A recto Barbianes. Patronymicum nomen est, graecorum, et latinorum more factum ab oppido Barbiani, in quo natus Albericus creditur. Vide Priscianum Lib. II et alios hac de re Grammaticos.

(11) Gallus olim Marti sacer est habitus, quia valde pugnax animal est. Idipsum, quod Alberico Magno, Galeatio quoque Vicecomiti, ejus nominis primo, Med. Domino contigisse scribitur; atque ex eo, quod gallo sub auroram canente in lucem editus est, Galeatii illi nomen matrem indidisse. Vide Merulam, et alios Rerum nostrarum Scriptores.

(12) ὡρόσκοπων hoc, atque auguriorum genus omne vanissimum cum semper apud imperitum vulgus, tum ea potissimum obscurissima aetate viguit. Utinam hoc nostro saeculo plane desiisset!

(13) Joannes Alberici Frater, magnus plane vir, et nulli ea aetate, praeter Albericum, militari gloria secundus, quem *Belli Fulmen* vocitatum fuisse memoriae proditum est. Alii apud Lud. Murat. *Zaninum* appellant.

(14) Alidosii scilicet, Cunii, Lugi, et Barbiani Comitis filius. De hoc plura inferius.

(15) Joannes Auchutus, Britannus genere, vir fuit militari scientia clarissimus. De ipso Paulus Jovius in vita Sfortiae, et in elogio Alberici, aliique passim Ital. Rerum Scriptores apud Lud. Murat. agunt.

(16) Haud enim multo post futurum erat, ut Albericus Britan-

nica Societate ad internecionem deleta, aliisque barbaris nationibus vel fugatis, vel ferro caesis Italiam in libertatem vindicaret, quod certe nunquam Aucuthus futurum putasset.

(17) De his plura inferius.

(18) Nulla fuit Italiae pars ab teterrimis hisce pestibus intacta. Quanta nos quoque, et quam indigna tulimus Insubres infelicissimi! Vide rerum nostrarum Scriptores, atque in his Josephi Ripamontii Annales, in quibus res omnis fuse describitur.

(19) Novae bastae, novaeque galeae inventorem Albericum fuisse memoriae historici prodiderunt. Guttura quoque, et militum suorum crura armasse ferro iidem scribunt, atque inter hos Paulus Morigia Lib. IV, Hist. Med. Audi prae ceteris Scipionem Claramontium in Hist. Caesenae, Lib. XIV. *Primo*, inquit ille, *Albericus armaturam ferream invenit, quae coriacea esse solebat.* Hujus rei meminit et Georgius Jod. Berg. non inelegans Poeta jambo suo, cujus fortasse partem legere non pigebit.

Domesticum per militem vi reddidit
  Fines quietos Italos.
Hujus fide, atque armis Ladislaus suam
  Campaniam cum portubus
Recepit, et Neapolim pulcherrimam,
  Arcesque regni, et oppida.
Hic militari hac profuit solertia
  Arti, decusque hoc addidit,
Ut quae bovillo nuper essent tergore
  Compacta, mox haec ferrea
Gestaret arma miles; atque vulnere
  Tutum chalybs defenderet.
Tantum Camillo debuit vix vindici
  Erepta Roma Barbaris,
Quantum tenetur Alberico nobili
  Duci ferax Oenotria.

(20) Hoc nomine Vulcanum vocant Poetae, qui ab antiquis Deus ignis, et Fabrorum Praeses putatus est.

(21) Ita dictus ἀπὸ τȣ καταφρακτὸς undique munitus. De Cataphractis equitibus agit Flavius Vegetius Renatus, Lib. II de Re militari. *Cataphracti Equites*, inquit ille, *propter muninima, quae gerunt* etc. Quae Commentario suo illustrans God. Stewchius haec habet: *Hi milites a Lampridio, et aliis ejus aevi Scriptoribus cataphractarii appellati. De Cataphractorum in exercitu munere Nazarius Panegyricus haec scribit: Cataphracti Equites, in quibus maximum steterat pugnae robur, his disciplina pugnandi est; Cum aciem arctaverint, servant impressionis tenorem, et immunes vulnerum quidquid oppositum est sine haesitatione perrumpunt.* Deinde paucis interpositis subdit Stewchius: *De armatura horum militum, et equorum, quibus insidebant, digna putavi memoria,*

quae ex diversis scriptoribus observavi. Primo apud Servium, qui XI Æneid. ita scribit: Cataphracti sunt equites, qui et ipsi ferro muniti sunt, et equos similiter munitos habent. Quo in loco etiam Sallustii verba ex incerto libro subjicit: Equis paria operimenta erant, quae lintea ferris laminis in modum plumae adnexuerant. Diserte id explicat Virgilii versus:

Spumantemque agitabat equum, quem pellis ahenis
In plumam squamis auro conserta tegebat.

Itidem Justinus Lib. XLI. Munimenta ipsis, equisque loricae plumatae sunt, quae utrumque toto corpore tegebant. Ammianus Lib. XXIV. Hostem undique laminis ferreis in modum tenuis plumae contectum. De his etiam Curtius Lib. III et aliis infinitis in locis. De his Lampridius in Alexandro. Plura vide si lubet, apud eundem Stewchium, et alios de re militari Scriptores. Ex his omnibus vides, equus cataphractus vetus quam sit. Hunc itaque Albericus non invenit, at perperam scribit Paulus Jovius cap. X, Vitae Sfortiae, sed quasi postliminii jure revocavit, atqae Italiae reddidit.

(22) Ita dictus Albericus ab oppido Zagonariae, quemadmodum Donogalius ab oppido Donogaliae, de quo postea. Zagonariam vero, quae Comitum Cunii Princeps fuit Comitatus, celeberrimam fecit pugna, qaae apud ipsam commissa, et summa contentione pugnata est, de qua disserit Machiavellus Lib. IV, Hist. Sabellicus Lib. I, Aenead. X, Platina, Corius, Blondus, Leander Albertus, aliique multi. In hac ergo Albericus VIII Alberici Magni nepos, cum suis copiis, universoque Guelfae Factionis foederato exercitu a Picinino, qui pro Ghibellinis, et Philippo Maria Med. Duce pugnabat, victus, captusque est una cum Pandulpho Malatesta, Orso Ursino Pontificiarum Copiarum Imperatore ibidem interfecto. Tunc capta Zagonaria, ac pene solo aequata est. Albericus et Malatesta captivi abducti sunt Mediolanum. Hinc novum foedus ab Philippo Maria Vicecomite Med. Duce ictum cum Alberico; cujus foederis eae fueruat conditiones, ut Med. Dux Alberico in Longobardia Belgiojosii Oppidum, Comitatumque perpetuo daret *pro aliquali rependio* (verba sunt Diplomatis dati in Oppido Albiati, vulgo *Abiagrasso*, MCCCCXXXI die 29 Novembris): Albericus vero contra Philippo Mariae Consiliis, Lugique Oppida, arcesque munitissimas in Aemilia concederet pro copiarum suarum receptu, pacisqne obsidibus interim, dum bellum duraret, quod cum Pontifice Vicecomes gerebat. Vide quoque B. Platinam in vita Nerii Capponii apud Lud. Muratorium Rerum Ital. vol. XX, et Tonduccium Hist. Favent. part. 3, pag. 479, ubi haec prae ceteris lege: *Il Conte Alberico di Cunio e di Zagonara che prima era stato spogliato da'* SUOI STATI *della Romagna, ora divenuto suo Condottiere* (cioè di Filippo Maria) *ebbe in ricompensa il Castello e Contea di Belgiojoso in Lombardia.*

(23) Hac de re ita paucis Paulus Jovius in elogio Alberici: *Fortissimus, ac generosissimus quisque spe laudis ad ejus signa coibat.*

(24) Quam potens ea aetate fuerit Princeps Barbiana Gens, quae plura Oppida, Castra, et Arces in Aemilia supremo jure possidebat, vel hoc uno conjice argumento, quod Albericus proprio aere conscripserit, armaverit, alueritque (voluntarios excipe) universam D. Georgii societatem, quam ipse instituit, et de qua mox; quaeque, si Paulo Jovio credimus in elogio Alberici, octo millibus hominum constabat. *Sub signis autem suis* (Albericus) *ait ille*, *quattuor millia cataphractorum, et totidem levis armaturae equitum habuisse traditur, quibus externarum gentium vaga arma fraenavit, non unoque in loco feliciter profligavit usque adeo egregie, ut pristinum italicae dignitatis decus insigni cum laude restituerit.* Leander vero Albertus in sua Univ. Italiae descriptione multo majores Alberici copias fuisse affirmat. En ejus verba pag. 319: *Ragunò il Conte Alberico oltre* 12,000 *combattenti sotto la Compagnia di S. Giorgio.* Idipsum confirmat Gualdus Prioratus in vita Alberici Magni edita Viennae in Austria 1674, his verbis: *Scrivono gli istorici, che egli* (Alberigo) *radunò sotto le sue insegne* 6000 *uomini di arme, e* 6000 *cavalli leggieri tutti Italiani, quali nominò fratelli della Lega, e Compagnia di San Giorgio, e volle, che ognuno di essi portasse al collo sempre l'imagine di questo Santo.* Id quoque Blondus testatur, ut mox dicemus.

(25) De Brandolino, Ursino, Tartalea, aliisque Alberici alumnis passim ejus aevi scriptores meminerunt. De Tartalea ex Oppido Avello oriundo plura vide apud Annales Bonincontrii a Lud. Murat. editos Rer. Ital. vol. XXI.

(26) *Lustrico die*, inquit Jovius in vita Attenduli, seu Sfortiae cap. III, *puero Jacobi, et Mutii nomen indiderant.* Qua vero de causa, abjecto priori nomine, Sfortia deinceps sit appellatus, te ibidem Jovius ipse, te Paulus Morigia Lib. IV. Hist. Med. aliique certiorem facient. Nostrum prae ceteris Leodrisium Cribellum audi in vita ejusdem Sfortiae apud Lud. Murat. Rer. Ital., vol. XIX: *Cum autem de dividenda praeda, ut plerumque fit, lite suborta, commilitones quosdam acrioribus verbis, ac minaci fronte Jacobus* (Attendulus) *urgeret; et illi rem ad Albericum Comitem detulissent, instanti nihilo remissiori sermone Jacobo: at te mihi vim illaturum existimo, inquit Albericus, tanta utentem ferocia. Tibi vero posthac Sfortiae semper nomen erit.* Idipsum disce ab annalibus Laurentii Bonincontrii apud Lud. Murat. Rerum Ital., vol. XXI, col. 53, *anno salutis* 1390: *Sfortia Attendolus quum ob praedam disceptaret cum quodam Tarantola, et Scorpione, equitibus sociis Alberici, eorum Ducis, velletque sibi praedam, quam acquisierat cum his, vindicare, delata quaestio hujus rei ad eorum Imperatorem est. Nec his contentus Sfortia, vim illis inferre pa-*

rabat. Qua ex re Albericus dixit: et mihi quoque, credo vim conaberis adferre. Volo postea dehinc Sfortia nomineris. Id postea nomen sibi adscitum est. Vide et Leand. Albert. in Descript. Italiae pag. 1310, et Marcum a Cotignola in vita ejusdem Sfortiae, quae calamo exarata servatur Mediolani in Bibliotecha Monacorum Cister. D. Ambrosii hujus urbis. Hunc vero Mutium Jacobum ignorat nemo Patrem fuisse Franc. Mariae Sfortiae, qui Sfortiadùm Med. Ducum primus extitit.

(27) De hoc cum alii plures, tum idem Cribellus in vita Sfortiae apud Murat. Rerum Ital., vol. XIX, disserit his verbis: *fuit in iisdem castris, et Alberici militia vir perusinus, genere nobilis, ceterum vehementis animi, et ingenii callidissimi, Braccius Montonensis, ex Forti-Bracciorum Familia. Hic in Sfortia egregiam fortitudinem, et virtutes principe dignas suspiciens, ejus amicitiam petiit, exceptusque est familiarissime; fuitque per ea tempora Alberici commilitonibus vita communis, et contubernia non secus, ac fraterno jure conjuncta.* Hactenus ille. Cur vero, arctissimo amicitiae foedere disjuncto, tanta deinceps odia invicem exarserint, docet ibidem Cribellus ipse, et Paulus Jovius in vita Sfortiae. Quanti porro hunc fecerit Albericus paucis accipe ab Joanne Campano in ejus vita apud Murat. Rer. Ital., vol. XIX, col. 451: *Haec cum dixisset* (Albericus) *Arcerium, Galdarinum, Arnaldum, atque alios, qui cum Bracchio ad vallum subsidio remanserant, sub eodem militare jussos,* EQUESTRI ET MILITARI DIGNITATE *donavit. Qui postea suum sequuti Imperatorem in clarissimos viros evasere. Bracchio autem exercitus imperium, militarium signorum custodiam, et praeterea* SUA DOMESTICA INSIGNIA, *Majorumque Ornamenta concessit, quibus ejus posteri usque in diem usi sunt.* Vides hic Albericum, Principum more, equites creare (Ordinis nempe S. Georgii) quem ipse Princeps paulo ante instituerat, suaque Insignia Ducibus de se optime meritis concedere.

(28) De hac Societate praeter dicta superius ita Blondus Flav. Hist. Decad. Secunda, pag. 1389: *Albericus, cui in primis acceptum debet Italia, si ab annis inde sexaginta, minus eam domestica laedunt arma... Externam ipse militiam Italia omni expulit... Italos arma diversis in regionibus tractantes in unam coegit Societatem S. Georgii appellatam.* In Chron. autem Domini Gorelli De Rebus Arctinae Urbis apud Murat. Rer. Ital., vol. XV, col. 862, integrum Caput extat in haec verba: *De introitu Comitis Alberici, et ejus Societatis S. Georgii.* Bonolus vero Hist. Foro-Liv. pag. 176 haec scribit: *Poteasi dunque a ragione chiamarsi Alberico Liberatore degli Oltramontani Furori, siccome unico Ristoratore della Milizia Italiana, nella cui Compagnia di S. Giorgio ammetter non si poteva chi non era di questa Nazione, giurando i soldati di essere perpetui inimici degli Stranieri, e de' Barbari.* Idem denique Blond. Flav. de Roma Instaur. ut alios omittam in-

numeros, haec subdit: *Albericus stipendio dimissis Italis omnibus, qui arma ferre coeperant, se se Ducem ea ratione exhibuit, ut coacti eam in militiam praestantiores quique, inito foedere, quod sacramento firmatum est, una esset Societas S. Georgii appellata, qua cum Societate adeo ardenti, altoque animo externos Albericus est insectatus, ut nullus, qui paterna, avitaque origine in Italia genitus non esset, arma per eum circumferre sit ausus. Fuisse autem ad quadraginta Equitum millia externos Italia tunc pulsos, audivimus, quum Albericus sua Societate vix duodecim millia habuerit.*

Sub. D. autem Georgii auspiciis Soc. suam instituit ideo Albericus, quod probe nosset vir religiosissimus quam magna saepe, ac prodigiosa penitus auxilia attulerit Martyr Sanctissimus in aere non semel visus suppetias ferens pugnantibus, equo albo invectus. Qua de re Acta consule SS. Aprilis collecta, digesta, illustrata a Godefrido Henschenio, et Daniele Papebrochio e Societate Jesu, tom. III, cap. VIII, IX et X. Caput vero VIII potissimum lege, quod inscribitur: *S. Georgius* Τροπαιοφορος, *et Christian. Exercituum Ductor*, ubi plura reperies mira penitus aeque, ac fide dignissima. Ad trutinam enim severioris Critices ab Eruditissimis Viris revocata sunt omnia. Hinc ejusdem sub patrocinio plures instituti sunt Ordines Militares, atque in his Ordo S. Georgii in Austria, Ordo Periscelidis in Anglia, aliique aliis in regionibus plurimi, ut eum omittam, quem ab Alberico in Aemilia institutum commemoravimus.

(29) *Monumenta nostra*, inquit Scipio Claramontius Hist. Caesen. Lib. XIV:

> *Scribunt primum novae Alberici Militiae*
> *Vexilliferum Polydorum Tibertum fuisse,*
> *Nobilem Caesenatem.*

(30) Lughium appellat Albericum ab oppido Lugi, cujus erat Dominus. Quod quidem Oppidum apud veteres nunc Lucus dicitur, nunc Lucus Dianae, nunc Forum Licii. De hoc ita Tassonus in festivissimo Poemate, cui titulus: *La Secchia Rapita*, C. V, st. XL:

> Ha seco il fior della Romagna Bassa,
> Che volontaria segue i segni suoi,
> Lugo, Bagnacavallo, Argenta, e Massa
> Cotignola, e Barbian madri d'Eroi.

(31) Rem omnem fuse narrat Scipio Claramontius Hist. Caes. Lib. XIV, apud Georgium Graevium in Thesauro Antiq. et Hist. Hinc pauca decerpo: *At manebat*, inquit ille, *diram gentem* (Britannos nempe) *justa ultio, quam innocentium Caesenatum effusus sanguis efflagitabat. Albericus, Cunii Comes, Italicae Militiae Instaurator, quem etiam Albericum Barbianum appellant, acie summa cum illis ad Marinum confligens occidione occidit, ut non remanserit, qui suis in Britannia Commilitonum mortem nuntiaret.* Haec ille postquam eorundem Britannorum excursiones,

praedasque descripserat, quas ab Caesenae urbe, atque ab ea abduxerant Latii, seu Campaniae parte, quam olim Volsci incolebant.

(32) D. nempe Georgius.

(33) Hastae videlicet, galeae, atque equi cataphracti apparatu penitus novo, de quo superius.

(34) Quam insignis ignominiae nota ea tempestate italico esset inusta nomini, pluribus omissis testimoniis, unum affero Scip. Claramontii Lib. XIV, Hist. Caes. *Hinc Italorum contemptus*, inquit ille, *inermium nedum, sed etiam armatorum. Despiciebant eos scilicet exteri milites veluti militiae ineptos barbara ejusmodi superbia.*

(35) De Attendulo, seu Sfortia haec Paulus Jovius in ejusdem vita cap. VI. *Cataphractus Eques* (Sfortia), *et alae Praefectus sub Alberico militavit.* Idipsum de Braccio conjicio ex eo, quod prae ceteris italis, *qui ex hoc Alberici instituto*, ut inquit Scip. Claramontius Lib. XIV, Hist. Caes., *profluxerunt, hos duos Albericus plurimi fecit*, eorum cognita penitus, perspectaque virtute; quem etiam, ut superius attigimus, largissime est remuneratus.

(36) Quod ab Scip. Claramontio accepimus de Polydoro Tiberto, idipsum confirmat Auctor operis, cui titulus: *Caesena Triumphans* Lib. II, apud Graevium Thes. Antiq. et Hist. *Is itaque* (Albericus), inquit ille, *armatum hominem equo locare clausis galeis primus invenit, qui Societatis S. Georgii* PRINCEPS *fuit, qui peregrina arma ex Italia ejecit, cujus generale vexillum unus ex Tibertis Caesenatibus gessit.*

(37) Ab oppido Cunii, quo potiebatur, Cunius dicitur Albericus. De Cunio ita Hieronymus Bonolus in Hist. Cotignolae 4, pag. 60. *Dalla Curia di Cunio nell'anno* 1296 *la villa di Budrio passò a quella del Castello di Barbiano, che dalli Conti del medesimo nome (perduto che ebbero Cunio) fu dichiarato la* METROPOLI *delle Signorie loro nella Romagna.* De Cunio quoque, ut omittam ceteros, ita Dantes Purg. Cant. XIV:

Ben fa Bagnacaval, che non rifiglia,
E mal fa Castrocaro, e peggio CONIO,
Che di figliar tai Conti più s' impiglia.

Haec in Cunii Comites male animatus scripsit Florentinus Poeta, qui nec Divo Coelestino pepercit, quod in illo italico tumultu infensas ejusdem Comitibus partes sequeretur. Bonaventura tamen Imolensis, judex aequior, suo in eundem Dantem commentario, quem edidit Murat. Antiq. Ital. Med. Aevi, vol. I, hanc de illis fert sententiam: *Et tamen isti* (Cunii Comites) *de virtute antiqua multum retinent in strenuitate armorum.*

(38) Consule, quae superius ex Scip. Claramontio adnotavimus.

(39) Ipsos enim exilio mulctatos fuisse, perhibet Morerius, ut dictum est jam.

(40) Comes Ludovicus Alberici Principis frater, Eques Hierosolymitanus, in Austriacis Copiis peditum Tribunus, quem Proprietarium vocant, et Legionis supremus Dux, CAESARIS CUBICULARIUS, ab eodemque in Sanctius Concilium adscitus, atque ad graviores, penitusque reconditas Imperii Consultationes adhibitus, cum saepe in bello praeclara AUGUSTIS DOMINIS fidei suae, avitaeque virtutis dedit testimonia, tum in pace pro ea, qua pollet eximia ingenii perspicacitate, rerum scientia, dexteritate, prudentia semetipsum iisdem acceptissimum reddidit; perfunctusque jamdiu Caesarea Legatione apud SUECIAE REGEM eo felici eventu, qui poterat maxime desiderari, nunc eadem apud INVICTISSIMUM BRITANNIAE REGEM haud dissimili fungitur successu; ibique Regi, Proceribus, Populoque universo carissimus, et ea, quae sui sunt muneris obit diligentissime, et omni curat studio, ut collapsum in littoralibus plagis AUGUSTO CAESARI subditis commercium reviviscat, floreatque idem in Britannia in dies magis. Tanto propterea Mecoenati, Publicaeque Felicitatis Auctori grata, et obsequens Mercatorum Societas naves plurimas BELGIOJOSII PRINCIPIS nomine honestandas curarunt.

(41) Ea semper poetis data est venia, ut in rebus id, quod apparet potius, quam quod verum est, sequi iis liceat. Ne mihi ergo astronomi nimis rigidi hoc loco succenseant.

(42) Rem ordine enarrat omnem Ghirardaccius in Hist. Bonon. Tum Chronicon Bonon. et Lucense. En hujus postremi verba apud Mur. Rer. Ital., vol. XVIII: *Il Conte Alberico dannificò Bologna, per amore che il Signore di Bologna* (Giovanni Bentivoglj) *avea messa l'oste a Barbiano terra del Barbiano stesso.*

(43) De Joanne Bentivolo, Bononiae Domino, seu verius Tyranno ab Alberico certamine superato, atque ab suis occiso agunt Poggius Bracciolinus Hist. Lib. IV Chronicon Bonon., Ghirardaccius, Mattheus de Griffonibus in Mem. Historico, qui practer cetera haec habet: *Tunc Comes Albericus cum aliquibus de illis, qui redierant Bononiam, ceperunt Joannem de Bentivoglis, qui se absconderat in quadam domo prope Ecclesiam S. Archangeli; et dictus Joannes se reddidit Comiti Alberico, et fuit ductus in platea, et populus armatus erat in platea; et ceperunt dictum Joannem, et fuit vulneratus, et finaliter mortuus.* Consule quoque hac de re Chronicon Bonon. quod narrationem ita coucludit: *Ma esso Giovanni* (Bentivoglj) *fu morto a rumore, e a furore di popolo, ed ebbe più di 40 ferite.* Nullibi tamen haec uberius narratur historia, quam apud Minerbetti Chronicon 1748, editum Florentiae, ad annum scilicet Ch. MCCCCII, cap. VIII, col. 457.

(44) Qua ratione semet Rom. Pontifici Bononia dediderit, iidem, quos modo recensuimus, Scriptores te plane edocebunt.

(45) Summo cum imperio pro Urb. VI et Bonif. IX Pont. Maximis pugnasse saepius Albericum norunt omnes, qui illorum temporum historias vel leviter attigerint. Consule Odor. Raynaldi An.

Eccles. Audi et Morig. nostrum, Lib. IV Hist. Med.: *Ebbe da Bonifazio Nono il Conte Alberico il Capitaniato Generale della Chiesa, il quale gli fece donazione in Romagna del Castello di Monte Sarchione, Fraganano, Plibie, S. Andrea, Tausignori, Porogni, Rioli, Pidrani, Castello Bolognese, Zalandi, S. Agata, il Contado e Diocesi d'Imola, e delle ville di Macingoli, il Castello di S. Giovanni, di fonte Ilici, S. Nastazo, Corfarie, Casole, Monte Oliveto, Monte Maggiore, Lignavi, Pagnani, e Mongardini, Rivalti, Putri, Sageti, Trifonte, Galdefusio, Blancanigi, Gurzani, Landerchio, Mazzolani, ed altre ville con l'infrascritte parole, e privilegio:*

Volentes igitur generosam personam tuam, Tuorumque de Domo, et progenie Cunii dignis praemiis, et illos ad Statum S. Rom. Ecclesiae animari, et in eadem devotione servare, volumus auctoritate apostolica, qua specialiter in hac parte fungimur, et decernimus per praesentes, quod si forte Te Albericum suprascriptum sine liberis masculis legitimis, et naturalibus ex legitimo matrimonio procreatis ab hoc saeculo migrare contingeret (quod Deus avertat) in articulo mortis tuae in dictis Castris, et Territoriis, et Villis in totum, et divisim duos haeredes relinquere possis unum, vel plures, dummodo sint, et sit de Domo, et Progenie praefata de Cunio. Hactenus Pont. Quaedam tamen inter Albericum processu temporis, et inter Innoc. VII simultates intercesserunt, ut constat ex litteris ejusdem Apostolicis, quas affert L. Unig. in Cod. Ital. Diplomat., tom. 4, pag. 135, *missis ad Romanae Ecclesiae in temporalibus Vicarios adversus Albericum de Barbiano Bononiam occupare tentantem . . d. d. 6 kal. Junii anno* 1405. Ubi prae ceteris haec scribit Pontifex: *Cum nobilis vir Albericus de Barbiano Dioecesis, Comes Cunii, et Regni nostri Siciliae Magnus Comestabulus, nobis, et praefatae Ecclesiae subditus, et in nonnullis terris nostris, et ejusdem Ecclesiae Vicarius.*

(46) Robertus Gebennensis nonnullorum Cardinalium in Urb. VI. Legitimum Pont. conjuratione facta supremum Pontificatum Clementis VII nomine per summum facinus occupavit. Luctuosissimam tragoediam vide cum apud alios, tum praecipue in Annal. Eccles. Odorici Raynaldi.

(47) Extant enim litterae D. Catharinae Senensis ad Albericum datae, quibus ipsum ad arma contra Pseudo-Pont. capessenda vehementer hortatur. Eas lege, si lubet, in libro epistolarum ejusdem num. 309.

(48) Rem gestam fuse narrat Collenutius Hist. Neap., Lib. V, et Andreas Catarus in Hist. Patav. italice conscripta, ex qua tibi pauca haec legenda subjicio: *Papa Urbano chiamò il Conte Alberico da Barbiano suo General Capitano, e datagli la sua*

benedizione gli commise, che andasse a trovare i suoi nemici; e volendo Monsignor di Mongioja fare resistenza, fu a battaglia col Conte Alberico, e fu vinto, e fatto prigione con tutto il restante delle sue genti. Papa Clemente, udita la nuova, pauroso, e in dubbio della sua vita, fu condotto a Napoli... indi a salvamento giunse in Avignone. Hoc idem narrat Odoricus Raynal. in Ann. Eccles., his verbis: *Albericus. Monzoja capto*, (Psendo Pontificis Nepote) *paucis horis victoriam obtinuit; eodemque die triumphantis modo magna laetitia totius Pop. Rom. exceptus est.* Pergit deinde referre, qua ratione vinctus Monzoja in triumphum ductus, atque Arx Adriana, vulgo *Castel S. Angelo*, dedita sit. Qua de re extant Urb. Litterae ad Leodienses datae, quas recitat Raynaldus idem; ibidemque allatis Collenutii verbis affirmat Albericum ab Urbano eodem die, antequam advesperasceret, equestri dignitate donatum.

(49) Princeps nempe Albericus, et Comes Ludovicus ejusdem frater.

(50) Universam historiam repraesentant statuae hinc inde positae opere anaglyptico, vulgo *a basso rilievo*, affabre elaboratae.

(51) Venetarum rerum Scriptores consule.

(52) Saepe, ac saepius pugnasse Albericum pro Mediolani Ducibus, Bernabove in primis, et Joanne Galeatio Vicecomitibus norunt omnes, qui in patria historia peregrini penitus non sunt. Quam porro carum Bernabos eum habuerit vide apud Leandrum Albertum in Univ. Italiae descriptione. De Joanne autem Galeatio, cui opem praecipue tulit Albericus contra Robert. Bavarum Imperat., inferius videbimus. Interim accipe, quae de eodem Laurentius Bonincontrius in Annalibus referat apud Murat. Rerum Ital., vol. XXI, col. 68. *Galeatius* (Mediolani Dux) *id Florentinis denuntiat Albericum* (Cunii Comitem) *rem justam expostulare. Proinde ab armis discedant, qui si aliter fecerint, se illi opem laturum, ut ex* CONVENTIONE, *quam cum* ALBERICO *firmarat, antea promiserat.*

(53) Stoicorum vetus est dogma: ὅτι ἀρετὴ ἀρκεῖ ἑαυτῇ, *Virtutem se ipsa contentam esse.* Quod illi verbis docuerunt, re perfecit ipsa Albericus ab omni habendi cupiditate alienissimus. Nec tibi, si historiam leges, negotium hac in re facesseut Innoc. VII Apostolicae Litterae, quas superius recitavimus.

(54) Quam praecipiti dominandi libidine abreptus fuerit Braccius, refert Antonius Campanus in ejusdem vita, et Leodrisius Cribellus, qui de ipso disserens epiphonemate veluti quodam rem ita concludit: *Profecto animus coeca dominandi libidine praeceps actus neque Deum, neque homines examinat.* Ita ille in vita Sfortiae. Qua vero ratione victus, caesusque fuerit Braccius, vide apud eundem Campanum Lib. VI, Vitae Braccii, aliosque.

(55) Lege Paulum Morigiam Lib. IV, Hist. Med., et Poggium Bracciolinum Hist. Lib. III.

(56) Joannem nempe Galeatium Vicecomitem, Med. Ducem, pro quo strenuissime pugnans Albericus Robert. Bavarum praelia fractum Italia discedere coegit, ut num. 52 innuimus. Dominum vero Mediolani Joannem Galeatium voco jure feudi, quod ipse ab Wenceslao Caesare impetrarat, et quo ejusdem Galeatii Majores aliorum Augustorum concessione jamdiu fuerant potiti.

(57) Vetustissimi Galliae populi, qui Brixiam olim tenuerant, apud quam universo cum exercitu Robert. Bavarus consederat.

(58) Vulgo *Lago di Garda.*

(59) Florentinorum, qui cum Roberto adversus Joannem Galeatium foedus inierant.

(60) Vicerat haud ita pridem Albericus pro Carolo Dyrachino pugnans Joannam Reginam, schismaticam foeminam, Urb. VI infensissimam, eamque captivam fecerat, caesis ejusdem copiis, atque Ludovico I Andegavensi Duce lethali vulnere confosso. Qua de re ita Leodrisius Cribellus: *Karolus Rex dum sibi, et regno cavet, Albericum Comitem cum Copiis omnibus suis, quas magnas sub imperio suo, sub Divi Georgii nomine militantes habebat, in tutelam Regni adsciverat, Belligerantium profecto per ea tempora supremum Ducem; eidemque in Magnum Regni Comestabilem creato regium cum sceptro vexillum miserat, quae dignitas est post Regem magna.* Pergit deinde Alberici praelia, et victorias enarrare, quae, si libuerit, apud ipsum videre poteris.

(61) Ladislaum nempe, Caroli Dyrachini filium, qui vix XVII aetatis annum attigerat.

(62) Ne te longioribus detineam narrationibus, quas apud Odor. Raynal. habes in Annal. Eccles. epitomen Morerii tibi do. Rem ille omnem ita paucis complectitur: *Ladislas venoit d'être chassé de son royaume par les Barons et par Lovis (II) d'Anjou; il ne lui restoit plus que la ville de Gaëte. Alberic conduisit ses operations avec tant de succès, et de bonheur, qu'en peu de temps il raduisit Naples, et ses Châteaux, et tout le reste de royaume sous l'obéissance de Ladislas.*

(63) Ita Andreas Catarus in Historia Patavina apud Murat. Rer. Ital., vol. XVII, col. 524: *Giunti dunque il Gran Contestabile* (Alberico) *e gran Marescalco in Puglia, e presentatisi inanti alla Regina, quella confortarono, come meglio poterono, offerendosi a suo soccorso, e de' Figliuoli; e così si diedero al governo del Re Ladislao, assoldando gente di arme con tutte lor forze, e si messero contro al Re Luigi. E certo si può dire, che il mantenimento del Re Ladislao fu il mirabile ingegno, e laudabili opere del valoroso Conte Alberico Gran Contestabile, sotto il quale dalla fanciullezza imparò sì il mestiere della milizia. che ai suoi giorni non fu alcuno, che l'agguogliasse.* Audi quoque hac de re Aloysium Contarenum in opere, cui titulus:

L'Antiquità, Sito, Chiese di Roma, con l'origine, Nobiltà. Nap. 1569: *Non per questo s' intimorì Ladislao; anzi in tutto, e per tutto deliberò di andare all'acquisto del regno, e fatta una rassegna sulla pianura di Sesse uscì armato di tutte arme ad udire messa al Vescovato; e perchè era di anni* 17, *la madre e la sorella l' accompagnarono, una da un lato, e l' altra dall'altro; e tenendoli poi la madre, giunti che furono al loco, ove egli era per cavalcare, la man destra sopra la spada, disse alli Baroni, e circostanti: Ecco, fedelissimi Cavaglieri, che io vi consegno tutto quel bene, che mi trovo al Mondo. Lo raccomando alla fede, e virtude vostra. Erano presenti il Conte Alberigo, il Nipote del Papa Francesco d'Aquino, Cecco del Borgo ... li quali ad una voce dissero alla Regina, che stesse di buon animo, e che essi erano per conservazion del Re per perdere la vita. E intanto venuto il cavallo al Re, egli fu dal Conte Alberigo posto a cavallo.*

(64) De Ballistis, Catapulta, et Muralibus Machinis vide plura apud Vegetium de Re Militari Lib. IV, God. Stewchii Commentario illustratum.

(65) Quod, quantisque praemiis Ladislaus Alberici virtutem remuneratus sit disce a Paulo Morigia, Lib. IV Histor. Med., his verbis: *Domandato* (Alberico) *da Ladislao Re di Napoli gli ricuperò tutto il regno, da cui ebbe per bene merito Trani, e Giovenazzo Città della Puglia, col Contado di Conversano.* Qua de re Librum lege Neapoli editum 1735, cui titulus: *Delectus Scriptorum Rerum Neapolitanarum.* Ibi pag. 712 haec habes: *Fortissimum Cupersani Castrum magnis excitatum sumptibus ab Alberico, cujus testimonium ejus in una Arcis turrium extantia referunt insignia.* His certe in locis, ut auctor nobis est Morigia Lib. IV, Hist. Med. Nobilissima Herois nostri Familia, quae ab remotissimis usque aetatibus Comitum Cunii nomine insignita est, quaeque per fratres natu minores in plures divisa Soboles in variis Italiae urbibus consederat, a Comite Manfredo Alberici Magni Nepote propagata fuit, diuque ipsa Tranii floruit; nostraque tantum aetate in Domini Fabritii e Cunio duabus filiis extincta est, ut testatur nobis Joseph Reccus in opere, quod inscripsit: *Notizie delle Famiglie Nobili della Città e Regno di Napoli*, pag. 6, quem citat Joseph Vulpius in Vicecomitum Historia, tom. I, pag. 416.

(66) Saepe, ac saepius ab exteris Regibus, remotisque Nationibus expetitum Albericum fuisse, atque ab iis invitatum, ut sibi suppetias ferret, narrat idem Paulus Morigia Hist. Med. Lib. IV, aliique.

(67) Quum omnes praeclarae, ac laudandae virtutes sunt, coeloque dignum hominem efficiunt, tum illae potissimum, quae ad Reip. commodum, communemque utilitatem pertinent. Majus enim, atque, ut ait D. Thomas De Reg. Princ. Lib. I, cap. IX, *divinius est*

bonum multitudinis, *quam bonum unius*. Hinc celeberrimae illae apud Graecos, Romauosque Heroum Apotheoses, de quibus Ovid. lege lib. IX Metamorph. in Apotheosi Herculis, et praecipue D. Bernard. De Montfaucon tom. I, pars II Operis cui titulus: *L'Antiquité expliquée*. Hinc et Virgilius lib. VI Aeneid. eorundem Heroum animas in praecipua collocat Elysii parte:

Hic manus ob patriam pugnando vulnera passi;
Inventas aut qui vitam excoluere per artes;
Quisque sui memores alios fecere merendo.

Quae omnia Alberico Magno apprime conveniunt, ut ex superius dictis constat satis.

(68) Tribus, et amplius, ab hinc saeculis Princeps Barbiana Gens uostra effecta est, ex eo scilicet tempore, quo Philippus M. Vicecomes Med. Dux anno a Virginis Partu, MCCCCXXXI. Arcem Illi, Oppidumque Belgiojosii concessit, a quo eidem Genti Belgiojosiae cognomen additum. Vide superius dicta num. 22.

(69) Infinitus essem, si vellem singulos hujus Familae Heroes enumerando recensere. De nonnullis pauca mox. Interim Leodrisium Cribellum audi in vita Sfortiae. Hic ille, postquam Alberici Magni, et Joannis ejus fratris res praeclare gestas, virtutemque bellicam fuse laudavit, rem ita concludit omnem: *mansit deinceps apud eorum Posteros veluti haereditario quodam jure ea ipsa animorum vis, et exercitatio, quae illis in supremum usque diem comes non defuerat.*

(70) Liberatores suos solebat Graecia annno solemni die, festisque ludis celebrare. Idipsum quoque apud Hebraeos in more positum fuisse discimus ex Lib. Judith, aliisque Sacris Voluminibus.

Ast Alberico *sit meruisse satis*, inquit Poeta. Non parva tamen illi, illiusque Familiae merces est, gloria parta apud posteros sempiterna. Hinc meritos Sabellicus Aeneade Non. Lib. nono inquit: *Albericus Cunii Comes ex ea Familia natus, cui uni plus debet Italia, quam omnibus Ducibus, qui in ea tempestate fuerunt.* Eidem concinit Gaudentius Merula de Gallorum Cisalpinorum antiquitate, ac origine Lugduni apud Gryph. editus 1538, pag. 41: *Barbianorum Familiae, pace hoc aliorum dicere liceat mihi, omnis magis debet Italia, quam suo Romana Civitas Camillo. Albericus enim Comes Barbianus Italorum arma, quae Barbarorum metu longo saeculorum intervallo non intonuerant, primus excitavit.*

(71) Apotheosi videlicet, quam a felicissimi ingenii viro acute inventam in fornice magnae aulae affabre pingendam nuperrime curavit Princeps Albericus.

(72) Majorum suorum vestigiis insistens, avitaeque virtutis aemulus Princeps Albericus a prima aetate militiam sequutus, omnesque Caesareis in Castris honorum gradus emensus, dignusque semper

majoribus, renuntiatus denique fuit ab AUGUSTIS DOMINIS PRAEFECTUS MILITUM, cui Caesarei Corporis credita est Custodia, et Supremus Legionis Dux creatus. Nec minor tamen (quae magnorum hominum est indoles) ejusdem in scientias, omnesque liberales artes emicuit usque ardor, et studium. Hinc sibi magnis sumptibus Bibliothecam instruit lectissimis unaquaque in facultate editis voluminibus, atque etiam calamo exaratis locupletissimam. Tum Mecoenas ipse optimus, et liberalissimus Litteratum quemlibet complectitur amantissime, fovet et tuetur; praesidetque unus Regiae Nobilium Artium Academiae, atque Universitati a Maria Theresia Augusta Mediolani institutae.

(73) De Comite Ludovico Alberici Principis Fratre vide quae diximus num. 40.

(74) Barbianorum Gentem, quae olim Cnoia, Lughia, et Zagonaria, nunc autem Belgiojosia dicitur, vetustissimam esse, ac nobilissimam, atque inter Principes Italiae Familias annumerandam nostrates aeque, ac exteri testantur Scriptores, qui docent ex eorum prosapia prodiisse viros quavis aetate celeberrimos, Hierosolymitanos nempe, Aureique Velleris Equites, fortissimos Duces, Legatos, Proreges, Supremos exercituum, classiumque Praefectos Reip. Venetae, ac Florentinae, Summis Pontificibus, Regibus, Caesoribusque carissimos; eosdemque Barbianos, in magna olim Aemiliae parte dominatos, sanguine se conjunxisse cum Principibus Familiis, Torella videlicet, Polentana, Trivultia, Carraria, Atestina, Donogalia, Manfredia, Wolchenstenia, Guidio, aliisque, ut suis mox locis planius ostendemus. In tanto tamen consonguinitatum numero eas tantum, ne nimii essemus, hoc loco attingendas duximus, quae Herois nostri aetatem propius attingunt. Lege, si lubet hac de re Paulum Morig., Hist. Med. Lib. IV, ubi integrum extat caput XXVII, in haec verba :

DELLA ANTICHITÀ E NOBILTÀ DI CASA BELGIOJOSA DETTA DE' BARBIANI.

Potissimum vero Ludovicum Murator. consule in suo tum Rerum Italic. tum Antiq. Medii Aevi magno opere, et Hieronymum Rubeum in Historia Ravennati; ibique invenies jam usque ab anno DCCCXXIIII nobilissimos Cunii Comites Ravennae floruisse. Hoc ipsum confirmant, illustrantque Acta vetustissima ann. 829, 881, 945, 973, quae suo in Tabulario manu scripta servat Domus Celsissima, quibus edocemur Cunii, Barbiani, Lugique Comites olim dictos, nunc Barbiani, Begiojosio-Atestini, Sacrique Romani Imperii Principes primam originem, ac genus ducere ab Eberardo, Desiderii Longobardorum Regis filio. Extant quoque privilegia, et diplomata Augustorum Federici I et II, Henrici VI, Othonis IV, aliorumque, qui eos insequuti sunt ad Carolum usque V, quibus

Cunii, Lugi, Barbianique immemorabilis possessio iisdem Comitibus confirmatur. Extant etiam Apostolicae Litterae Joan. XXIII, Clement. VII, aliorumque Summorum Pontificum. In his lege potissimum, quas Joan. XXIII dedit Ludovico II Cunii, Lugi et Barbiani Comiti, Alberici Magni Filio, quibus eum, ejusque Posteros Rom. Ecclesiae Vicarios perpetuos creat.

(75) Inter Comites enim Cunii Decimus recensetur celeberrimus Raynerius II ab Aloysio Morerio. Qui vir, quantusque ille fuerit, vide apud Hieron. Rubeum, Hist. Raven. Lib. V. Non ego hic genealogiam texo, aut historiam scribo, sed poesim, cui, ut inquit Horat. Lib. de Arte Poetica:

Quidlibet audendi semper fuit aequa potestas.

Jure itaque nemo exactam hic rerum, temporumque seriem a me requiret. *Haud patitur constringi compede Apollo.* Ajebat ille, nescio quis, anonymus Poeta. Non igitur vereor, ne quis mihi succenseat, si forte in hac mea qualicunque lucubratione aliquid offenderit ab historica veritate alienum. Quis enim est, qui nesciat quantis ea saecula tenebris obducta siat, quantaque ejus aevi Scriptores discordia inter se pugnent? Nec vero erat bujus loci, aut temporis eos ad critices lancem revocare.

(76) Bandezati Cunii Comitis mentio summa cum laude sit ab Hieronymo Rubeo, Hist. Raven. Lib. VI. Ipse ab aliis Evidus dicitur. Ejus neptis, Thadaea nomine, an. MCCCXII in matrimonium collocata fuit cum Francisco Estensi Ferrariae Marchioni. De hac etiam paulo inferius.

(77) Ejus in obitu nedum Princeps Albericus, conjux, ejusdem amantissimus, atque omnis Barbiana Gens consternata jacuit, sed universa pene ingemuit Insubria. Dolorem quoque, et obsequium erga illam suum Em. Angelus Card. Durinus edita elegia testatus est, ἐν ᾧ τῦ καλλιμάχυ ἐνέργεια, καὶ, ut Philo ait m. l. 3, τὸ τῦ λέγοντος ἐνθουσιῶδες ἐμφάινεται. Non parum tamen tanto in luctu, jacturaque solatii fuit, atque est Alberico Principi, moestissimo Conjugi suscepta ab nobilissima uxore lectissimu soboles, Mares nempe tres, duaeque Foeminae. Adolescunt Mares in spem magnam Italiae; Foeminarum vero altera Antonio Marchioni Littae nuptui fuit tradita, altera baud ita pridem Josepho Cisternae Principi. Quibus Familiis Dii boni! Quam nobilibus, quam vetustis, quam omni ornamentorum genere praeclaris!

(78) Ad Guidonem Barbiani, et Cunii Comitem, sapientem in primis virum, et consilii plenum gravissimam controversiam delatam fuisse narrat Hieronym. Rub., Hist. Rav. Lib. VI, ad an. Ch. MCCV.

(79) Nullus fere ex innumeris historicis est, qui Alberici Magni meminerit, quin meminerit etiam summa cum laude Joannis ejusdem Fratris, quem *Belli Fulmen* vocant. Alii appellant Zaninum. Res ab eo strenue gestas apud eosdem lege ab Lud. Murat. collectos, praesertim vero apud Blond. Flav. Hist. Decad. Secunda.

(80) Petrus Franc. Barbiani, ac Belgiojosii Comes, Tribunus Militum, conscensa classe, Carolum V in Africae celeberrima expeditione prosequutus est, pugnavitque adeo strenue, feliciterque cum Barbaris, ut eum liberalissime Caesar sit remuneratus. Haec, et his plura habes apud Morerium, et Paulum Morigiam Lib. IV Hist. Med., et alios.

(81) Ludovicus IV Barbiani et Belgiojosii Comes vir musis carissimus. Orientales linguas probe noverat, atque omni scientiarum genere erat adeo excultus, ut eum illius aetatis doctissimus, quisque suspiceret maxime; et clarissimus Alciatus *Sapientum solem* appellare consueverit. Nec idem tamen militari gloria minus floruit. Fuit cum Fernando Gonzaga, fuit cum Sabaudiae Ducibus, strenueque apud ipsos militavit. Uxorem habuit, ut mox dicemus, Principem Foeminam, Barbaram Trivultiam.

(82) Sagum, seu Sagulum vestimentum erat militare apud Romanos, toga brevius, ut norunt omnes. De hoc praeter alios Cic. Philip. 5, 8 et 14.

(83) De Rinaldo, Manfredi, Cunii Comitis et Isabellae Monfortiae Vigiliarum, vulgo *Biscaglia*, Marchionissae filio, Alberici Magni, et Beatricis Polentanae Nepote agit Paulus Morig. Lib. IV Hist. Med. De Ugone vero Hieronym. Rub. Lib. VI Hist. Rav. Ipsos consule.

(84) Duos potissimum ab Hieronymo Rubeo commemoratos invenio Bernardinos, Cunii et Barbiani Comites, clarissimos utrosque viros. De Seniore mentionem facit ad an. Ch. MCCV et MCCLXIII et alibi saepius. De Juniori, cognomento *Malicia*, anno MCCCLIX in Hist. Rav.

(85) Rem omnem disce ab eodem Hieronym. Rubeo, Hist. Rav. Lib. VI, *anno MCCCXXXVIII* ait ille: *Franciscus Archiepiscopus* (Ravennae) *Rainerio Balduini, Comitis Cunii filio, suo nomine, atque item Marci, Bernardini filii, accipienti jure emphiteutico tradidit domos Ravennae, e regione Gazii, prope S. Mamae Portam, a turri in muro urbis constructa, supra fossam Castri, Portam Gazam versus, ad Portam usque Ursicinam, una cum ipsa Porta, munitionibusque ejus omnibus, quae tum in muro urbis essent, quaeque in posterum excitarentur, ea conditione, ut sua ipsi impensa eas munitiones conservarent, et ut pacatus Civitatis Ravennae status duraret, bellumque, et pacem ex Archiepiscopi Ravennae sententia facerent, illius et tuerentur jura.*

(86) Hunc Ludovicus Sfortia, Med. Dux, summo cum imperio classi praefecit suae, quam in ligustico mari habebat; aliisque apud eundem honorificentissimis perfunctum muneribus Legatum misit ad Carolum VIII, Galliarum Regem, gravissimis cum mandatis felici adeo successu, ut ei grati animi causa Dux liberalissimus Modoetiae

urbem, atque arcem dono dederit. Plura de ipso si forte scire desideras, nostrarum rerum Scriptores consule, atque in hic Morig., Lib. IV Hist. Med.

(87) Andream, Cunii, et Barbiani Comitem, Fusignanium appello, quod *Oppidum ipse Fusignani, olim Guidoni Polentano a Cunii Comitibus quatuor aureorum florenorum millibus venditum recuperavit ea conditione, ut accipitrem unum, et canes sagaciter odorantes duos Guidoni Polentano, Ravennae Domino, quotannis praeberet.* Verba sunt Hieronymi Rubei, Lib. VI Hist. Raven.

(88) De Marco, Cunii Comite, ibidem plura, praeter ea, quae superius num. 85 adnotavimus.

(89) Quis pater Alidosio felicior, qui duos sibi liberos procreavit tota Italia, atque Europa clarissimos, Albericum nempe Magnum, et Joannem, *Belli Fulmen* vocitatum. Procerissimo fertur ipsum fuisse corpore; pugnansque fortiter in Oppidi Barbiani muris hostili telo confossus cecidit. Qua de re ita auctor, qui Chronicon Estense prosequutus est, quod edidit Murat. Rer. Ital., vol. XV, col. 512. *Die VI Madii Bononienses Castrum Barbiani obtinuerunt, et ibi mortuus fuit ab una balista Alidosius, Comes Barbiani; et tres Ambaxiadores praefati Domini Marchionis (Atestii) in dicto Castro carcerati, fuerunt relaxati.* Vide et Rub. Hist. Rav. Lib. VI, pag. 592, ad an. MCCCLXXXVI, et Pignam Lib. V, cui titulus *Dell' Istorie de' Principi d' Este.*

(90) Manfredus, Cunii, et Barbiani Comes quae gesserit, habes apud Hier. Rub. Hist. Rav. Lib. VII ad an. MCCCCIII et MCCCCVIII alibique apud alios.

(91) De Rafaldino, Cunii Comite, scripsit Paulus Morig. Lib. IV, Hist. Med. Potentem ipsum appello, quod, eodem teste Morigia, uxor illi nobilissima, collecta nomine, decem oppida in dotem attulerit, amplamque praeterea matris adierit haereditatem.

(92) Lamberti, Cunii, et Barbiani Comitis, cum apud alios, tum apud Hieron. Rubeum clarissima extat memoria Lib. VI, Hist. Rav. ad an. Ch. MCCCXXXVIII.

(93) Eberardus, ut ex antiquissimis actis num. 74 eruimus, Desiderii Longobardorum Regis filius, Primus Auctor fuisse creditur, Stipesque Barbiani Generis. Ipsum propterea regia fulgentem majestate, supraque omnes Barbianos eminentem descripsi, illique de more gentis suae longam in pectus cadentem barbam effinxi. A longa enim barba, quam hi populi alebant, dicti sunt Longobardi, seu Langobardi, ut norunt eruditi. Fas autem erat, ut Barbianii omnes communi Parenti, facto agmine, adessent frequentissimi.

(94) In hoc Barbianorum, quorum singillatim non meminimus, coetu praeclarissimo nedum viri fulgent immortalitate dignissimi, Colafranci, Uberti, Gerardi, Jacobi, Francisci, Galeoti, Ugolini,

Nicolai, aliique plures, sed etiam lectissimae foeminae, Beatrices, Isabellae, Lucretiae, Margaritae, Juliae, Liviae, Paulae, Barbarae, Annae, Justinae, Ippolythae, quarum unius, Justinae videlicet ad nuptias adstans D. Carolus Borromaeus, Nepti carissimae fausta omnia sacro ritu precatus est; alteram vero Hippolytam nempe sacris induit vestibus in Asceterio D. Magdaleaae ad Portam, ut ajunt, Ludovicam, anno MDLXXXIII.

(95) Paula omissa, de cujus laudibus fuse ugit Morig. Lib. IV Hist. Med. tres potissimum fuere Sanctissimae Virgines, quae solemnibus se Deo votis penitus devoverunt, Hippolyta, de qua superiori loco mentionem fecimus, Hortensia, et Clara, quarum altera in Coenobio D. Clarae hujus urbis, altera in D. Marthae Coelesti dicatae Sponso religiosissime cum vixissent ad superos jamdiu evolarunt. De his Morigia citato loco, et alii; extatque praedictas apud Sanctimoniales illarum, non sine sanctitatis opinione, jugis memoria.

(96) Paula scilicet Torella Princeps Foemina, Francisci Torelli, Vastallae, et Chirugoli Comitis filia nupsit Petro Francisco, Cunii, Lugi, et Barbiani Comiti. Consule locupletissimum Celsissimae Domus Tabularium.

(97) Beatrix, Guidonis Polentani, Ravennae Domini, et Elisae Atestinae, ab Nicholao, Ferrariae Marchione progenitae Filia, altera fuit e duabus Alberici Magni uxoribus, cui nupsit ille annum circiter MCCCLXXX mortua Bozacarina, priore Conjuge, ut mox dicemus. Beatrix procreata Alberico Magno egregia sobole, post mariti obitum, ad Fratrem Ravennam rediit, ut auctor nobis est Hieronymus Rubeus Hist. Ravennae Lib. VII. Ita ille: *Vivebat per hos dies*, anno videlicet MCCCCXV, *Ravennae Beatrix. Quod in Comitum Cunii familia jam nupta, marito mortuo in patriam se ad fratrem contulisset, subscribebat tamen adhuc epistolis, ac decretis suis in haec verba: Beatrix de Polenta, Cunii Comitissa. Polentanos autem Principes sic se inscribere solitos ex tabulis hujus saeculi publicis cognovi*, subdit ibidem Rubeus, Hist. scilicet Raven. Lib. VI, ad an. MCCCXCV. *Opizo, et Aldrovandinus, Fratres de Polenta, Ravennae pro Sancta Romana Ecclesia in temporalibus Vicarii Generales, nec non Rectores, Protectores, Gubernatores, atque Defensores Civitatis Ravennae, et ejus districtus, et Communis.* Hactenus Rubeus.

(98) Ludovicus IIII Barbiani, et Belgiojosii Comes sibi matrimonio junxit Barbaram Trivultiam, Francisci Trivultii, Viglebani Marchionis, et Musoci Comitis, Juliaeque Trivultiae filiam, ac neptem Theodori Magni, Marchionis Picileonis, vulgo *Pizzighettone*, in dotem allatis Confientiae, ac Lardarae Comitatibus. Fuit ea Consobrina Greg. XIIII. Haec omnia Paulus Morigia loco saepius commemorato.

(99) Ab eodem Scriptore ibidem discimus inter Barbianam, et

Carrariam, Principem Familiam, Patavii Dominam urctas, juncto sanguine, necessitudines intercessisse. At non docet ille nos qua id ratione, vel tempore evenerit. Quod Paulus Morigia subticuit, nobis retulit Andreas Catarus in Hist. Patav. apud Lud. Murat. Rerum Italic., vol. XVII. col. 266. Hic itaque narrat primam Alberici Magni Uxorem (duas enim habuit, ut supra innuimus) nobilissimam foeminam fuisse, patria Patavinam, Buzacarinam genere, quae soror erat Finae, uxoris Francisci Carrariae, Patavii Domini. Sed ipsum audi Andream Catarum: *Oltra gli affanni, e fatiche delle guerre, uno ne giunse a Messer Francesco Carrara, Signore di Padova, che passò di questa vita la sua Donna, Madonna Fina Buzacarina, figliuola che fu del nobile Cavaliere Messer Pataro Buzacarini, uomo valoroso, e famoso quanto altro di qualunque Città d'Italia. Fu continente e liberale, e contrasse matrimonio di sue Figliuole con grandi uomini. La prima diede al Magnifico Messer Francesco da Carrara, il quale fu Signore di Padova. La seconda diede al Conte Alberico di Barbiano, gran Capitano, e gran Contestabile del Re di Puglia, uomo valoroso, e vincitore.* Has cum Buzacarina celebravit nuptias Albericus circiter ann. MCCCLXXVIII illaque brevi communi fato sibi praerepta, alteram duxit uxorem, Beatricem Polentanam, de qua satis superius dictum.

(100) Hic Annam, Guilelmi Bevilaquae filiam, quae sacra conjugii lege copulata fuit cum Manfredo, Cunii Comite, neptisque erat Alberici Magni, commemorare possem, aliasque ex aliis Principibus Familiis egregias Foeminas: sed modus hic quoque, ut vetus fert adagium, servandus est. Iis itaque, de quibus diximus supra, et de quibus mox dicemus, contentus esto.

(101) De Hippolyta Barbinna hic sermo est, quae uxor extitit Baptistae Vicecomitis, e sanguine Matthaei Magni, Mediolani Domini. Vide Celsissimae Domus Tabularium.

(102) Estensium, seu Atestinorum Insigne Gentilitium praecipuum hoc est, Aquila Alba. Ab anno usque MCCCXII, ut diximus, inter utramque Familiam Barbianam, et Atestinam junctae cognationes fuerunt, Thadaea Joannis, Barbiani Comitis, filia, et Bandezati nepte, in matrimonium tradita Francisco I, Atestis, et Anconae Marchioni, cujus rei nobis auctor est Pigna in Hist. Principum Atestinorum, eandemque confirmat Stemma Estense. seu Chronologica Series Principum Atestinorum, quam Mutinae typis edidit Solianus anno MDCLX. Iterum haec renovata consanguinitas est anno MCCCXXXV. Lucretia, Barbiani Comitis, filia Rinaldo III Atestino, Ferrariae, et Anconae Marchioni in matrimonium data, ut ex eodem constat Estensi Stemmate. Tertium huic necessitudini vinculum anno MCCCLXXX addidit Elisa, Nicolai Atestini, Ferrariae Marchionis, filia, quae mater fuit Beatricis Polentanae, quam Albericus Magnus secundam habuit uxorem, ut diximus. Tandem hac nostra aetate ab Alberico XII, feliciter vivente Anna Atestina,

lectissima, ac Principe Foemina, conjugali jure sibi copulata, ita utriusque Gentis conjunctus est sanguis, ut ex duabus una effecta sit Gens Belgiojosia Atestina.

(103) Maria Alberici, postremi Donogaliae Comitis, filia nupsit Rainerio III Cunii, Lugi et Barbiani Comiti, atque ita uxorio nomine Donogaliae Comitatus, ac Oppidi S. Potiti possessionem iniit Rainerius, empto praeterea anno MCCXL Oppido Fabriagi. Haec Morerius. Idipsum confirmat Hieronymus Rubeus Hist. Rav. Lib. VI, qui ad annum MCCLIX litem subortam fuisse narrat ob amnis Senii (alii Sinnam vocant) cursum. Tibi ejusdem verba transcribo: *Magna per id tempus dissidia erant Bagnacavallensibus cum Ugolino e Cinfrignagno, et Donigalianis, Lugiensibusque, et Maria, Donigaliae Comitissa, Raineri, Comitis Cunii, uxore ob amnis Senii cursum.* Hic obiter monitum te velim, quam Hieron. Rubeus Donigaliam vocat, ab aliis passim Scriptoribus Donogaliam appellari.

(104) De Margarita hoc loco mentio sit, Caroli I, Barbiani Comitis, filia quam Alexander Sfortia, e Sfortiadum Mediolani Ducum genere, matrimonio sibi conjunxit. E Tabulario Celsissimae Domus, et Morerio haec habes.

(105) Isabella Comitissa de Wolchenstein, Soror Episcopi, ac Principis Tridenti nupta fuit Joanni Barbiano, Belgiojosii Comiti. Ex eodem Tabullario, et Morerio.

(106) Saepe, ac saepius ab anno MCCLXXXV usque ad MCCCCXLIX. Barbiana Gens cognationibus juncta fuit cum Manfredia, Faventiae Domina. Primo quidem per Beatricem, Manfredi de Manfredis filiam, nuptam anno MCCLXXXV. Alberico, Bernardini, Comitis Cunii, filio, ut habetur in Chron. Cantinelli col. 278. En tibi ejusdem verba: *Postmodum vero ivit Faventiam, et fecit pacem inter Comites de Cunio, et Manfredos occasione mortis Manfredi de Manfredis, et Albergusii ejus filii, quia filia dicti Manfredi erat uxor Alberici filii Comitis Bernardini de Cunio.* De eadem Beatrice col. 738 his verbis mentio fit in opere, quod edidit Mittarellus, inscribiturque: Annales Rerum Faventinarum: *Comes Albericus de Cunio, et Beatrixia ejus uxor filia Manfredi Faventiae Domini.* De eadem Hieronymus quoque Rubeus Hist. Rav. Lib. VI, pag. 488, ad annum MCCXCV, haec habet: *Conciliavit Albericum, Cunii Comitem, ejusque uxorem Beatricem, Manfredi Manfredii filiam, ob ipsius Manfredi, et Alberghitti filii necem dissidentes.* Secundo per Dilectinam, Alberici, Cunii Comitis, filiam, quae nuptui tradita est Rizardo, Francisci Manfredi filio, ut legere est his verbis apud Rerum Favent. Scriptores a Mittarello editos, col. 718, an. MCCCXL: *Rizardus filius Francisci de Manfredis. Obiit ejus uxor Dilectina, filia Comitis Alberici de Cunio.* Ibidem ad annum MCCCXLI haec

adduntur col. 333: *Dominus Franciscus q. D. Alberghetti de Manfredis condidit suum testamentum, in quo reliquit D. Magdalenae, ejus filiae, et uxoris Comitis Manfredi de Cunio libras octocentum bononienses.* Ubi vides per hanc Magdalenam, et Manfredum tertio connubiali foedere Barbianos cum Manfrediis arctius conjunctos fuisse. Quarto per *Antoniam* filiam Astorgii de Manfredis, quam anno MCCCC sibi despondit Albericus, Cunii Comes, ut apud eundem Mittarellum habes, col. 720. Quinto denique per *Joannam* Ludovici, Cunii Comitis, filiam, quae anno MCCCCXLIX Astorgii II de Manfredis uxor dicitur in saepius commemorato Mittarelli opere col. 721. Unam ego e quinque Manfrediis Beatricem in Carmine recensui, tum quod antiquior ceteris illa sit, tum ut poesi inservirem.

(107) Lassia haec est, e Comitum Guidorum Familia Princeps Foemina, quam vertente saeculo XIIII, habuit in matrimonio Jacobus, Cunii Comes. Ab his progenita *Jacoba* nupsit nobilissimo viro Francisco Lambertino, quem testamentum condidisse scimus anno MCCCCXVIII floruitque Jacoba ipsa Alberici Magni aetate. Vide Stemma, seu Chronologicam Seriem Bombaciorum typis editam, et Gamurinum vol. I, pag. 1668, et Ammiratum in Guidorum Comitum Hist., pag. 67. Ex quo disces quam antiqua, quam potens, bellicaque praestans virtute fuerit haec Familia, quae Tusciae Comes jam usque ab an. DCCCCXXIII ab Hieronymo Rubeo, Hist. Rav. Lib. V, appellatur, celebraturque variis in locis maxime ob egregiam in bello virtutem.

(108) Mnemosyne, graecum nomen, quod latini suum fecere, eadem est, ac memoria, quae Musarum mater est, ut fabulantur poetae. De Hac Ovid. 6 Metamorph., Ausonius Epist. 5, et Cic. 3, de Nat. Deorum.

(109) Musa, qua laudationibus, seu hymnis praeest ἀπό τοῦ πολύς ὕμνος ita dicta.

(110) Notiora sunt omnia, quae Avus, et Pater Alberici Principis praeclarissime gesserunt, quam ut ea a me oporteat fusius enarrari. Illud tamen, quod ad Patrem attinet, silentio praetereundum non putavi, Ipsum Carolo VI, ab intimis, gravioribusque consiliis fuisse: Ipsum Aurei Velleris Equitem creatum; Ipsum denique Sacri Romani Imperii Insignibus merito, ac jure decoratum; atque ita Barbianam per ipsum Gentem ad Aviti Principatus Splendorem aliqua saltem ratione revocatam. Revocatam inquam; priscis enim temporibus, Principatus jura Barbianam Gentem obtinuisse res est legenti Historias compertissima. Unam prae ceteris, ne infinitus sim, seligo potissimum Historiam Ravennatem Hieronymi Rubei, quod certis illam e monumentis, publicisque tabulis decerptam nobis dederit vir doctus aeque, ac veritatis amans. Hanc itaque percurrens obiter (nec enim longioris lucubrationis locus hic est) invenio Cunii Comites, in magna Aemiliae parte dominantes,

nunc tributa exigere, ut constat ex Lib. V, pag. 333 ad an. Ch. MCLIX, his verbis: *Cum autem Cunii Comites in Suis Ditionibus, quae erant in planitie negotiatione Faventinos prohibuissent, nisi solverent certum quotannis Tributum.* Nunc video ab ipsis delectum haberi militum, exercitusque comparari, ut patet ex Lib. V, VI et VII vidimusque superius satis in Alberico Magno. Nunc iidem Comites bellum hostibus inferunt, ejusque rei, innumeris omissis exemplis, unum affero ad an. Ch. MCCXCV, pag. 490. *Faventiae denno*, inquit Rubeus, *ad arma ventum est, Cunii Comitibus adversus Maghinardum* (erat is Imolae Princeps) *pugnantibus, quod Bononiensibus urbem tradere in animum induxissent.* Nunc ipsi pacem cum hostibus faciunt, ut in Lib. V, VI et VII saepissime reperies. Et ne singula dicendo prosequar, unum affero exemplum pacis initae inter Albericum Magnum, et Balthassarem Cossam, Cardinalem Legatum an. MCCCCIV. Qua de re fuse agit Rubeus Lib. VII, pag. 600, pressius vero his verbis Matthaeus de Grifonibus in Memoriali Hist. apud Murat. vol. XVIII, ad an. MCCCCV. *Die primo Octobris Dictus Dominus Legatus reversus est Bononiam cum bonis novis, videlicet quod fecerat pacem cum Comite Alberico de Barbiano.* Nunc aliis cum Principibus Cunii Comites foedus ineunt, nempe cum Ravennatibus anno Ch. MCXXXII, Lib. V, pag. 326, cum Faventinis anno MCCLXVI. Lib. V. pag. 346, cum Polentanis, et Bononiensibus semel, atque iterum; atque alios praeter multos cum Med. Ducibus, Bernabove, Joanne Galeatio, et Philippo Maria Vicecomitibus, ut supra attigimus num. 22 et 52. Nunc a Cunii Comitibus Legati mittuntur. Cujus rei luculentissimum habes testimonium apud eundem Rubeum Lib. VI, pag. 582, ad an. Ch. MCCCLXV. *Oddus Zorzengus, et Mengutius Guidonis* vocantur Legati, mittunturque ii gravissimis de rebus ad Petrocinum Ravennae Archiep. cui Summus Pontifex Apostolicis litteris mandata dederat de componenda Italiae pace. *Vocaverat Petrocinus* hac de causa, ut Rubei verbis utar, *omnes Provinciae Proceres, et Dominos ad Forum-Livii ad VII Id. Mart.* Adfuerunt stata die dicto audientes illi: *Albericus autem Zagonariae Dominus, et Joannes, Franciscusque Cunii Comites* hac de re ad eum Legatos miserunt. Ad ea vero, quae hactenus adnotavimus, duo addas praeterea velim. Primum narrat Rubeus ad an. Ch. MCCXV, pag. 487, his verbis: *Rainerius, Bandezatus, et Bernardinus Cunii Comites quarto Idus Maii, Fori Cornelii fossam, vallum, munitiones urbis omnes solo aequari postularunt.* Alterum refert an. MCCCXXV, pag. 543, in hac verba: *Scripsit Joannes Pontifex VII, Kal. Febr. ad Ajmericum Ravennae Arciep. ut Bernardini, Comitis Cunii, progressus accurate observaret; videret ne quid detrimenti Provincia acciperet. Laborare enim perduelles, ut ad suas illos partes traducerent.* Age vero, tributa exigere, milites conscribere,

foedera inire, legatos mittere, bellum, et pacem facere nonne ad eos dumtaxat pertinet, qui Principes nominantur, et sunt? An non haec, inquam, omnia Principum propria, ac peculiaria sunt jura? Quid ni ergo Barbianam Gentem, quae tot per saecula iisdem potita, est Principem jure fuisse dixerim?

Coronidis loco hic addo extare alia non pauca praeclarissima Alberici Mngni facinora, non illa quidem mihi ignota, neque non plane dignissima, quae carmine celebrentur. Sed de his alias, ne te longiori nunc opere gravarem. Ea interim, si lubet, lege cum apud Scriptores superius a me recitatos, tum apud Sabel. Aenead. Non. Leonardum Aretinum rerum suo tempore gestarum Com. Leandrum Albertum in sua Italiae Descriptione. Blond. Ital. Illustr. Blond. Hist. Platinam in vita Urb. VI. Brianum in Hist. Ital. Corium in Hor. Med. Bombacium in Hist. Bonon. Pignam, Gualdum in vita Alberici. Bonav. Angelum in Hist. Parm. Crescentium in Amphith. Rom. Mazellam in vita Ladislai. Platinam in vita Bonif. IX. Bonolum in Hist. Cotignolae. Biancardum in vitis Regum Neapol. Bernard. Marangonum in Chron. Pis. Ammiratum in Hist. Laurent. Anl. Cecin. in Hist. Civit. Volat.; aliosque non paucos. Hi te omnes de praeclarissimi Herois nostri vita, rebusque gestis certiorem plane facient; de morte illius non item. Haud enim hac in re inter se invicem conveniunt. Paulus Morigia Lib. IV Hist. Med., et Gualdus Prioratus in Alberici vita scribunt ipsum Tranii diem extremum obiisse anno MCCCCIV. Auctor Libri, qui inscribitur: *Ritratti ed elogj di Capitani Illustri, Roma* 1635, de ejus morte disserens haec habet: *In Barbiano, luogo della Romagna (Alberico) in età di 60 anni colmo di vera gloria partì dal mondo.* Verum hallucinatur hic homo vehementer. Nec opus est pluribus errorem adeo manifestum refellere. Quid ergo? Dicam breviter quae sentio, illud me de tanti viri immortalitate dignissimi, morte verum putare, quod memoriae proditum accepimus ab auctore operis, cui titulus: *Annales Estenses Jacobi de Delayto Cancellarii D. Nicolai Estensis, Marchionis Ferrariae auctoris synchroni, ex collect. Lud. Murat. Rerum Italicarum Tom. XVIIII, col.* 1083, ubi haec lege: *Anno praedicto MCCCCIX, die XXVI mensis Aprilis, magnificus miles Dominus Albericus de Barbiano, Comes Cunii, magnus Conestabilis Regni Siciliae, et inter primos unus ex Capitaneis Armorum Serenissimi Regis Apuliae, decessit in Oppido Perusino, quod appellatum est Castellum plebis. Nam cum de Apulia venisset in fines Marchiae Anconitanae, struens praeparationem insidiarum contra Dominum Legatum Bononiae sibi odiosum ob raptum Castellorum suorum de Romandiola, et sperans eas consumare cum Regis brachio, velletque ad Regem se Romam transferre de Marchia, captus aegritudine non sanabili in itinere, cum pluribus diebus languens cubasset in oppido antedicto, tandem morbo,*

et senio jam longo confectus occubuit mortis interitu. Ibidemque col. 1089 subdit: Et dum haec fierent magnus Conestabilis decessit in Castro Plebis oppido Perusino.

Ut autem longo carminum meorum taedio te gravatum nunc denique recrearem, putavi me rem tibi gratam facturum, si anonymi Poetae Elegiam, quae breviter Alberici Magni laudes complectitur, quamque Gaudentius Merula in primo Antiq. Gall. Cisalp. Libro edidit, nunc iterum edendam curarem. En tibi illa elegans hercle, et venusta.

Optima quaeque dies seclis properantibus aetas
Obruit, et longa fortia facta die.
Ne qua tuas igitur tegerent oblivia laudes,
Nève forent titulis invida secla tuis:
Hos ego perpetuis mandabo, Albrice, libellis:
Si veniet votis dexter Apollo meis.
Tempus edax rerum, tumque invidiosa vetustas
Obrueras tanti pene trophaea ducis.
Pierides igitur nostro adspirate labori:
Sustineatque meam Pegasis unda ratem.
Fama volubilibus quoties obscurior annis
Lucidior vestro semper ab ore venit.
Bellica temporibus squallebat gloria nostris
Cessabat longo tempore Martis honos.
Omne erat in Venerem studium, nocturnaque bella:
Qualibet et census arte parare novos.
Proh pudor Italiae, mundo gens nata regendo,
Nec pede, nec celeri bella regebat equo.
Usque adeo turpi languebant corda veterno:
Usque adeo nullus militiae usus erat.
Dux aberat, tumidos qui signa inferret in hostes,
Duceret et certis agmen equestre modis.

Armorum si quando aliqui exarsère tumultus,
Gesta peregrina bella fuère manu.
Hinc tibi ab occiduo insultabat miles Ibero:
Jactabat vires Teutonus inde suas:
Hic sua et extremi jactabant tela Britanni,
Et ferus ardentes Belga premebat equos.
Candida sed positis cum pax succederet armis,
Et patrios peteret barbara turba lares:
Victores nullo et victos discrimine passim,
Et miseros Civeis qui spoliaret, erat.
Non puduit matris gremio abduxisse puellam,
Uxoremque suo subripuisse viro.
Nemo fuit, quem raptus honos, quem damna moverent,
Tantus in Italidum pectore torpor erat.
Ut perhibent Lybicos armenta horrêre leones,
Ut lepus ad rapidae contremit ora canis:
Non aliter martis detrectavère labores,
Funderet horribiles buccina siqua sonos.
Non tulit hanc labem, nec tantum dedecus aevi
Albricus, Latiae gloria militiae.
Agmina jam pridem claris desueta triumphis,
Et resides animos primus in arma rapit.
Attonito tandem pulsi de corde timores:
Et durum martis dextra resumit opus.
Non tuba, non enses stricti, nec tela, nec ignes,
Nec vaga spumosis flumina vorticibus,
Ardua nec triplici circundata moenia fossa,
Nec quoque praeruptis oppida structa jugis
Ausoniam terrent vana formidine pubem,
Pendentem auspiciis Barbiane tuis.

IN VETUSTISSIMUM AEQUE AC PRODIGIIS

CELEBERRIMUM

CHRISTI DOMINI

E CRUCE PENDENTIS

SIMULACRUM

QUOD

IN MAXIMO TEMPLO CREMAE

RELIGIOSISSIME ASSERVATUR ET COLITUR

HENRICI BARELLII CREMENSIS CL. REG. S. PAULI

HYMNUS

QUEM PATRITIO VIRO NUMERISQUE OMNIBUS ABSOLUTISSIMO

MARCHIONI ALOYSIO ZURLAE

EX ILLUSTRISSIMO AC NOBILISSIMO TRIUMVIRUM COLLEGIO

D. D. D.

Quem Pater Omnipotens e celso protegit axe,
Nil est, quod paveat. Coelum tonet; ignibus aether
Ardeat; ex imo tellus succussa tremiscat
Cardine; stat contra casus interritus omnes,
Impavidusque Dei fretus tutamine. Terris
Haec cunctis esse exemplo verissima monstras,
Crema, tuo. Dilecta olli, qui morte redemit
Te propria infando suffixus stipite, sacra
Ejus in effigie, praesenti Numine gaudes.
Nam postquam (horresco) hanc dextera flammis
Sacrilegis peregrina [1] dedit, dum cuncta maderent
Sanguine, quem Guelfae, Ghibellinaeque cohortes
Fundebant actae vesano in bella furore,
Tu sceleris tanti conspectu territa ab igne
Ereptum medio pignus venerabile servas,
Missura ad seros per saecula longa nepotes,
Atque arae imponens, et non tua crimina multi
Muneribus delens adeo placabile Numen
Reddis, ut in cinerem absumpto, tenuemque favillam
Flagitii auctore Alchino, semet tibi contra
Cunctorum effugium praestet, columenque malorum.
Urbes Insubriae testes, atque Itala Tellus,
Quae te servatam mirata est saepius. Agris
Jam succisa diu, inque graves constricta maniplos

Imbribus assiduis messis corrupta peribat.
Pallidaque ora Fames e nigro erexerat orco.
Heu dolor! heu pietas! resonabant omnia luctu
Compita; praesentem intentabant omnia cladem.
At vix Divinam effigiem e penetralibus effers,
Circumagisque omnem in fletus effusa per urbem
(Mira quidem, sed vera cano, puer ipse tenellus
Quae vidi) extemplo depulsa nube serenum
Effulget coelum, atque ubertas redditur urbi.
Caetera quid repetam transactis munera saeclis
In te collata, et memori quae pectore servas?
Depulsamque luem pecori, et sitientibus agris
Imbrem concessum, atque aversos corpore morbos?
Nil petis, obtineas voti quin Patria compos.
Insuctis tumidus pluviis, nivibusque solutis
Serius exuperans ripas, pontemque superbo
Impositum dorso indignatus, spumeus arvis
Se effundens late, arboribusque, satisque revulsis
Extremum Patriae excidium, cladenque ferebat.
Hinc pavidi fugiunt, atque inde per arva coloni:
Attoniti cives adstant e moenibus urbis
Spectantes spumantem undam, lacrymasque cientes.
Ergo tibi quis opem tanto in discrimine rerum,
Crema, ferat? Feret ille, tibi qui numine semper
Favit propitio. Nec te spes vana fefellit.
Illicet ad templum properas, et poplite supplex
Procumbens flexo ante aram, velamine sacram
Detegis ablato effigiem. Velut iride pulchra
Apparente poli media in regione, quievit
Numinis ira, orbem quondam quum perderet omnem
Diluvio: haud aliter coelo ut conspexit ab alto
Divinum Genitor pendentem e stipite Natum
Placatus tumidam nutu compescuit undam
Ulterius saevire vetans. Cito Serius ambo
Cornua demisit supplex, frontemque superbam,

Antiquoque pedem revocans se condidit alveo.
Ergo soluta metu, tantoque erepta periclo
Quas Servatori laudes, quos concinis hymnos,
Crema, tuo? gratesque refers, opulentaque dona
Arae congeminas? Valido velut incita vento
Flamma micat magis: haud aliter tua major in illum
Exin religio emicuit transmissa vetustis
Ad nos e saeclis, qui dum sacra templa [2] novamus,
Fulgentesque auro, et mage dignas Numine sedes:
Prodigiis nos ille novis, dextraque tueri
Omnipotente parat miro certamine. Velox
Fama volet niveas quatiens per inania pennas,
Atque tuba ori admota toti nuntiet orbi
Monstrum insuetum, ingens, quo gens incredula viso
Hiscere nil ausa est, atque aetas tarda stupescet,
Quum leget. At molem tantarum evolvere rerum
Qui senior vates possim, nisi lumine mentem,
Uranie, illustres aegram? Ergo te auspice plectrum
Jamdudum positum repeto, remque ordine pando.
Nox patrio ex antro furvis invecta quadrigis
Egrediens medium cursu trajecerat axem
Jamdudum, et late cives sopor altus habebat:
Quum circum toto reboare tonitrua coelo,
Atque urbi foetus nimbis, atraque procella
Desuper incumbit turbo, praesagia luctus.
Eloquar, an sileam? subito fragor insonat ingens,
Horrificumque ruit contortum ex aethere fulmen,
Excidium laturum urbi, nisi dextera contra
Numinis obsistat. Locus est munimine firmus
Multiplici in Cremae muris Aquilonis ad oras,
Pulvis ubi pyrius magno congestus acervo
Servatur, patriae adversos tutamen in hostes,
Perniciem nunc contra illi, cladem que minatur.
Huc etenim fulgur diffindens nubila recto
Tramite adit, duplici trajecto fornice, ad imos

Usque sinus. Subitum carbo, atque haerentia circum
Concipiunt tabulata ignem, quibus undique pulvis
Ambitur pyrius, nimio ne humore fatiscat
Corruptus. Niger interea, pluviusque redibat
Ex oriente dies; nona et jam effluxerat hora,
Ex quo, roboribus circum flagrantibus, ignis
Ardet edax magis, haud visus, neque cognitus ulli,
Flammiferae parcens escae, contacta favilla
Quae vix a tenui subitos erumpit in ignes
Alta tonans, terrisque ferens, populisque ruinam.
Tu prior extremum advertis, Marianna, (3) periclum.
Imbribus in mediis flectente in moenia gressus
Numine, nigrantem trajecto e fornice fumum
Advolvi mirata; amens formidine clamas:
Ferte citi auxilium cives, properate, perimus.
Continuo tota funestus nuncius urbe
Spargitur, incertus primum, nunc certior aures,
Pasqualige, tuas tangit, qui Praetor ab urbe
Huc Veneta nobis missus, magnoque Senatu
Imperio regis hos populos, et providus urbem.
Heu! quid agas subito mentem turbante tumultu!
E re consilium capis; opportuna saluti
Communi das jussa; et milite ad arma vocato,
Atque aliis, super injecta qui incendia lympha,
Si qua via, extinguant, reliquos e moenibus urbis
Aufugisse jubes cives. E turribus altis
Aes cito campanum, reboans lugubre, perenni
Tinnitu dat signa fugae, et crebro incita pulsu
Tympana. Funestum ad sonitum eheu quantus in urbe
Exoritur tota fletus! (miserabile visu!)
Confusaeque sonus vocis sublatus ad astra:
Aufugite, o Cives. Patriae lux ultima venit.
Aufugite, et certae vosmet subducite morti.
Talibus attoniti dictis, et voce suorum
Ancipites, pavidi, ac formidine consternati

Huc gressum, atque illuc vertunt, pallentiaque ora,
Ambiguine lares patrios, ac tecta relinquant,
Pandatturne alia incertae via certa saluti.
Nec rauco interea bombo campana monere
Aera usquam cessant propius jam instare periclum.
Ergo viis fugiunt totis carissima quaeque
Linquentes, patria immemores nec limina claudunt.
Affusumque ruit vulgus simul agmine facto;
Immixtique senes pueris, matresque, virique,
Matronaeque sinum incomptae, pavidaeque puellae
Discissae crines, anhelantes pectore apertis
Erumpunt portis camporum aprica petentes,
Incertae quo fata ferant, ubi sistere detur.
Nec ruere interea cessat densissimus imber,
Corrumpitque vias undis, coenoque tenaci.
Quis luctum illius, casusque, vicesque dici
Expediat fando, complecti aut carmine possit?
Hic ferit amissa querulis clamoribus astra
Matre puer, lacrymisque sinum manantibus implet.
Illa dolore amens partes se vertit in omnes,
Itque, reditque viam toties, quoad pignora tandem
Inveniat, tenerisque inventa asportat in ulnis.
Illic moesta gemit praerepto conjuge conjux:
Haec peplum, illa mitram amittit, crepidasque relinquit
Infixas coeno. Hic errans in margine ripae
Haud titubata tenens vestigia concidit, udo
Ora, manusque ambas luto maculatus, et undis.
Vix aegros trahit ille pedes vestigia acerno
Sustentans fulcro. Hic multa tardante senecta
Incurvus, tremulusque venit, dextraque prehensum
Natus agit, metuitque sibi, metuitque parenti.
At parte ex alia sella asportatur in alta
Aeger multa gemens, pallenti luteus ore.
Cuncta sonant moestis late loca questibus. Omnes
Saepius ad patriam fugientes lumina vertunt:

Heu! Patria, exclamant, dulcissima tene revisam
Amplius, anne alias cogar mihi quaerere terras?
Natalique solo ejectus procul exul abibo?
Vos, o Coelicolae, saltem miserescite. Tangat
Vos miserae pietas urbis, nil tale merentis.
Interea fugiens vastos gemebunda per agros
Pasqualiga (4) erras priscae sata sanguine gentis.
Hinc Nati dolor amissi, hinc te conjugis heu!
Absentis metus excruciat. Sed pelle timorem
Pectore (spero equidem) virtus haud tanta peribit
Communi famulata bono, populique saluti;
Incolumemque tibi servabunt numina natum.
Tu quoque cara fugis Mater, nec tarda senectus
Impediit. Tanto cur non aderam ipse periclo?
Teque asportassem dorso, atque in tuta tulissem.
Quamquam oh! quid dolor heu! cogit me stulta profari?
Frater enim dilectus adest, geminaeque sorores,
Incertosque regunt gressus genitricis, et imbre
Servatam tuta statuunt te denique sedo.
Huc alii, atque alii succedunt ordine cives
Exanimesque metu, madidaque in veste fluentes.
Non tamen huc omnes veniunt, sed quisquis, agebat
Quo coecus pavor, aufugiunt diversa sequuti
Numinis heu! primum immemores (praecordia tantus
Obcoecat terror) quod nobis usque salutem
Attulit, atque feret. Nunc a formidine tandem
Vix respirantes transactis munera saeclis
Mente recordati communi voce reposcunt
Auxilium, duplicesque ferunt ad sidera palmas
Cum lacrymis, quibus arva sonant, amnisque propinquus.
Nec pius interea deest civis in urbe superstes
(Nomen fama tegit densis obscura tenebris)
Demissum tollat qui sacra ab imagine velum,
Accendatque faces, supplexque, et pronus ad aram
Concidat exorans veniam, patriaeque salutem.

Hinc alii, atque alii (nam parvus in urbe maniplus
Restat adhuc) passim accelerant, et Numine coram
Vitam obtestantur. Lacrymis delubra sonabant.
At claustris septae quae a prima aetate puellae
Sacris se votis penitus, niveique pudoris
Devovere Deo florem, vitamque paratae
Perdere sunt potius, quam efferre e limine gressus,
Semet quando vident solas, penitusque relictas
In patriae, et tanto rerum discrimine, poscunt
Hoc ipsum gemitu singultibus interrupto.
Haec inter miserae Pastor sanctissimus urbis
Marce (5) abes heu! rerum ignarus, tantique pericli.
Pro grege quot caro praesens discrimina adires!
Solatusque sacras esses dulci ore puellas,
Illas praesertim, propius quae moenia tangunt,
Undantemque vident advolvi ad nubila fumum
Francisci leges Clara sub Matre sequutae.
Illius ergo loco divino incensus amore
Succedis Prosper (6) sacro pro munere. Septa
Ingressum ut cernunt ad te simul agmine facto
Accurrunt properae veluti, pavidaeque columbae
Cum gemitu. Brevibus trepidantia pectora dictis
Confirmans sperare jubes a Numine praesens
Auxilium; et casta pariter comitante caterva
Stratus humi precibusque preces, et fervida votis
Vota addis lacrymis vestes madefactus, et ora.
Audiit e coelo Deus; et communia vultu
Excipiens placido vota haud consueta negavit
Auxilia. Ergo tibi, aeternum memorande per aevum,
Cajetane (7), decus nostrae, exemplarque juventae,
Qui numerum heroum factis praestantibus auges,
Divinam coelo virtutem infudit, ab alto,
Pro patria ut mittas in aperta pericula vitam.
Nam postquam vano cesserunt omnia nisu,
Tu foribus prior effractis, undantia nigro

Impavidus vultu ingrederis penetralia fumo.
Primo auras aditu vix pectore ducis anhelo,
Atque tibi tetro se mors dedit ore videndam,
Progressus tamen ulterius discrimina cernis
Ut propius, rapidisque absumier omnia flammis:
Eja agite, o cives, date lymphas, voce profaris
Saepius elata, date lymphas. Ocius illi
Irrumpunt, lymphasque ferunt simul agmine facto.
Ipse autem thecam arripiens velocior euro
Extrahis ambesam flammis, et pulvere foetam
Ignivomo, et fossae vicina mergis in unda.
Regressusque iterum partes te immittis in omnes
Impavidus, casuve ullo, viotusque labore.
Illi autem tanta incensi virtute sequuntur
Coeptum opus urgentes. Rapidis hi flumina flammis
Certatim injiciunt, quae fossa propinqua ministrat.
Hi contra pyrio projecto pulvere in undas,
Quem thecae condunt calefactae, labe carentem
Longius asportant, et tuta sede reponunt.
Hi veniunt, redeunt illi longo ordine cives.
Omnibus invigilat legio praemissa, Ducesque
Impavidi, insistuntque operi, et vim viribus addunt.
Tandem post varios casus, afflante labori
Numine, jam vacuus locus est, et flamma quievit.
Ergo qui fuerant ultro, citroque ministri
Jugiter interea missi, ut tibi cuncta referrent,
Pasqualige, urbi tanto impendente periclo,
Nuncia laeta ferunt servatam denique Cremam.
Oh quae sollicitum perfundunt gaudia pectus
Talibus auditis! Hilari micat ore voluptas,
Atque oculis. Tantam vulgus cito spargis in omne
Laetitiam, et profugos revocas in moenia cives.
Aera alta e turri certae dant signa salutis
Festivo pulsata sono, quam ut percipit aure
Attonitum vulgus, converso in gaudia luctu,

Jubilat. Ore cadunt lacrymae; dat pectore plausus;
Luminaque attollens, duplicesque ad sydera palmas
Quas Servatori laudes, gratesque rependit!
Ducentesque chorum pueri, immixtaeque puellae
Laeta canunt: sumus incolumes; redeamus ad urbem.
Arva, viaeque fremunt; depulsis ridet olympus
Nubibus, atque novo vestit se lumine tellus.
Ergo domos hilares repetunt, patriosque penates.
Laetior hoc nunquam tibi prisca aetate refulsit,
Crema, dies, postquam Cremes (8) tua prima locavit
Moenia, vel postquam Aenobarbo (9) excisa superbo
E mediis major surgis rediviva ruinis.
At Numen te quando tuum coelestibus esse
Prodigiis voluit salvam, et devinxit amore
Te sibi tam miro, disce olli denique soli
Vivere jam melior, meritas et reddere grates.
Reddere nec tardas tanto splendore, stupescat
Omnis ut Insubriae tellus affusa frequenti
Undique concursu. Triduo solemnia toto
Festa celebrantur. Dimittunt rura coloni,
Atque opera artifices. Populus coit omnis in unum
Visendi studio. Totam nova forma decorat
Urbem. Depictae hinc illinc e pariete pendent
Divino tabulae ingenio; nec serica vestis
Deficit, aut aurum, quo compita tota refulgent.
Hinc liquidi saliunt fontes, hic floribus horti,
Graminibusque virent; effictaque imago theatri
Apparet longe. Attonitum stupet omnia vulgus.
Dium Francisci (10) simulacrum educitur aede
Interea, ut proprias sedes, et templa revisat
Jam meliora, auro circum decorataque multo.
Dant raucae clangore tubae, et sacra tympana signum
Egressus. Cunctis campana e turribus aera
Laeta sonant, crebroque strepunt tormenta boatu
E muris; tremit urbs succussa e sedibus imis.

Hic nova cunctorum perfundunt gaudia pectus.
Agmen praecedunt vexilla undantia coelo.
Dein bini longo succedunt ordine cives,
In varias partiti acies: tamen omnibus una
Est pietas, fulgetque eadem modestia vultu.
Quid classes memorem varias, coetusque virorum,
Qui se se votis saeclo obstrinxere relicto?
Ordine quisque suo veniunt, demissa gerentes
Ora solo, flectuntque gravi vestigia gressu.
Huc quoque nobilitas in divite splendida veste
Undique tota coit, sacrae pars maxima pompae.
Dulcis ubique quies, et casta silentia regnant.
Dalmata adest legio, patrioque in murice fulgens,
Huc equitans, illucque vias jubet esse patentes.
Stricto Dux gladio turmae praeit. Ordine longo
Collucent facibusque viae, ceraeque liquantur
Innumerae. Hinc variis sequitur distincta maniplis
Turba sacerdotum candenti in veste refulgens.
Extremi veniunt sacris insignibus aucti,
Divinum pignus queis sedula cura tuendi
Incumbit, Cleri pars lecta, sacerque Senatus,
Inque vicem sacro supponunt terga feretro.
Sternuntur passim flores, et plurima circum
Cerea fax ardet; thus plena fumat acerra.
Omnia collucent auro; symphonia dulci
Mixta sonat cantu. Tacti pietate frequentes
Sternuntur cives terrae, et tibi pectora tundunt.
Agmen claudebat Praetor, rerumque sacrarum
Antistes, Proceres urbis hinc inde sequuti.
Pone frequens, immensa, affusaque turba ruebat.
Ventum erat ad sedes. Sacro subeunte feretro
Limina, mugitu horrisono cava machina rursus
Detonat e muris. Orchestra e duplice laeti
Concentus resonant; toto funalia templo
Crebra ardent; haeret pede pes, densusque viro vir,

Solemni interea divinum munus ad aram
Offertur ritu. Augusti penetralia templi
Circum laeta strepunt vario modulamine. Tanta
Haud patriae tamen hic habuerunt gaudia finem.
Aeriae turres nocturnis ignibus ardent,
Et fora. Mira auget sacram facundia pompam.
Suggestum prior ascendis celeberrime tota
Italia Orator, Quadrupane, Meazza deinde
Subsequeris, mihi jamdudum dilectus uterque.
Nam pueris (memini, et nimium meminisse necesse est)
Quum praecepta darem, teneris mirabar in annis
Vim magnam ingenii, et laetus mihi quanta spopondi!
Et vera eventus docuit praesagia. Nosti
Nunc, Crema, amborum quae pendes omnis ab ore,
Et monitus bibis aure sacros. Hos pectore conde.
Teque tuo quoniam servatam Numine cernis,
Vive memor, sceleris jam pura, et criminis expers;
Aeternumque dies tibi sit hic festus in aevum.
Haec ego pauca redux incompto carmina plectro
Effudi patrii vates in fluminis ora,
Dum grata autumnus concederet ocia. Verum
Auspice quo superas veniant sub luminis auras
Te nisi, Zurla, mihi dulci conjunctus amore?
Zurla decus patriae, veterisque ab origine gentis
Ductus, avis [11], atavisque potens. Tua carmine prorsus
Res agitur. Procerum te ex agmine deligit unum
Patria, vasta unus modereris ut omnia mente.
Omnia tam recto succedunt ordine, cives
Ut te mirati, peregrinaque turba recedat.

ANNOTATIONES

(1) Joannes Alchinus Bergomas, Ghibellinae factionis homo perditissimus in aede majori cum sociis ad ignem noctu excubans, ne recens ejecti ex urbe Guelfi interim redirent, divinum Simulacrum conspicatus, quasi Guelfum aliquem sibi invisum vidisset, statim e columna, e qua pendebat, arreptum, irridensque in flammas injicit. At paulo post igne e coelo demisso consumptus patrati sacrilegii poenas dat. Alemanius Finus, Hist. Crem. Lib. IV.

(2) Attingit hic obiter majoris Aedis, et sacelli instaurationem. in quo Divinum Simulacrum religiosissime asservatur. De qua et inferius.

(3) Marianna cognomento Mezzanotte ex opificio rediens aegrotum conjugem invisura, a recto paululum deflectens itinere, atque in urbis moenia casu divertens, omnium prima excitati in publico pyrii pulveris promptuario incendii certior fit.

(4) Civibus fuga salutem petentibus, fugiit et Mantica Pasqualiga e vetustissima Sorantia gente Patritia Veneta Hieronymi Pasqualigi Praetoris nostri providentissimi uxor excellentissima. Media in fuga filium amittit. De illo itaque dolens ac de absentis conjugis fato sollicita, anceps, moestissima describitur.

(5) Illustrissimus ac Reverendissimus DD. Marcus Antonius Lombardus Cremae Episcopus vigilantissimus, ac Leonensis Abbas in suburbanam villam (Turricellas vocant) casu diverterat.

(6) Hic de Illustrissimo aeque ac Reverendissimo Generali Vicario, et Ecclesiae Cathedralis Praeposito D. Prospero Maratio mentio fit.

(7) Cajetanus de Vecchis obscuro quidem genere natus, sed eximiae virtutis adolescens saepe affirmavit, ac saepius se se ab occulta quadam vi, ac divino actum impulsu, ut tantum pro patriae salute periculum subiret.

(8) Cremes urbem condidit anno a reparata salute DLXX. Alemanius Finus, Historiae Cremensis Lib. I.

(9) Crema a Caesare Ænobarbo, vulgo *Barbarossa*. funditus excisa anno a Virginis partu MCLX, iterum anno MCLXXXIII amplior aedificatur.

(10) Obiter hic supplicatio describitur, qua divinum Simulacrum ad templum maximum transfertur ex aede Divi Francisci, in qua ad quatuor et amplius annos collocatum fuerat, dum interim templum ipsum vetustate squallidum restauratur.

(11) Ex patritia, ac nobilissima Zurlarum gente clarissimi quavis aetate viri prodierunt. Inter hos eminent:

Pantaleon Zurla vir sanctissimus, atque omni disciplinarum genere clarissimus, qui Siccae in Neapolitano Regno Episcopus renuntiatus est anno MCCCCXIII. Alemanius Finus in delectu Illustr. Vir. Cremens.

Henricus Zurla, qui Cremae Praetor fuit anno MCCCCXV, dum Georgius Benzonus feudi, ut ajunt, nomine hujus urbis imperium teneret. Ibidem.

Evangelista Zurla, quem seniorem vocant. Vir fuit omnium bonarum artium amantissimus, ac militaris artis peritissimus. Is aere proprio conducta streuuissimorum hominum cohorte fortissime dimicavit contra Aloysium Galliarum Regem, et Venetam Remp. juvit mirifice. Ibidem.

Evangelista Zurla, cui junioris agnomen est. Is anno MDLXXI dum inter Selimum immanissimum Turcarum Imperatorem et Venetam Remp. atrocissimam arderet bellum supremus Venetae triremis Dux creatus est, quem amplissimum dignitatis gradum soli consequi Patritii Veneti consueverant; captaque barbara triremi, ac datis pluribus bellicae virtutis testimoniis Corcyrae diem obiit supremum, praeclarumque funebri pompa elatus est. Ibidem.

Michael Zurla ea aetate floruit, qua toto orbe terrarum celeberrimus Bartholomeus Bergomas supremus Venetarum copiarum Imperator, cujus etiam, ut fertur, Legatus fuit. Illud certe constat favisse ei plurimum, eidemque stemma suum gentilitium concessisse. Ibidem.

Antonius Zurla vir eloquentissimus ad Philippum Mariam Vicecomitem Mediolani Ducem a Georgio Benzono Cremae Domino de rebus difficillimis Legatus mittitur. Alem. Finus, Hist. Cremensis Lib. III.

Thomas Zurla homo prudens et consilii plenus a Patria ad Remp. Venetam missus gravissima fungitur legatione. Alem. Finus, Hist. Crem. Lib. V.

Silvius Zurla Hierosolymitanus Eques et Commendator de Christiana Rep. optime meritus.

Julius Zurla, vir musis apprime carus, idem ac orator disertissimus, atque ea aetate nulli secundus, cujus extat elegantissima italica oratio habita Venetiis coram Serenissimo Petro Lauredano Duce Venetiarum electo anno MDLXVIII, edita Venetiis apud Dominicum Nicolinum MDLXXII. In Orat. Cremen. delectu.

IN ONORE DELL'ANTICHISSIMO E MIRACOLOSISSIMO

CROCIFISSO

CHE SI CONSERVA E VENERA

NELLA CATTEDRALE DI CREMA

INNO

DI ENRICO BARELLI CREMASCO CH. R. DI S. PAOLO

DEDICATO ALL'ILLUSTRISSIMO SIG. MARCHESE

DON LUIGI ZURLA

DEL NOBILISSIMO COLLEGIO DE' PROVVEDITORI DELLA MEDESIMA CITTÀ

TRADOTTO IN VERSI

DAL P. D. P. G. CAMPAGNANI

DELLA MEDESIMA CONGREGAZIONE.

Nec converti ut interpres, sed sententiis iisdem, et earum formis tamquam figuris, verbis ad nostram consuetudinem aptis. — *Cic.*

Quale aver può cagion di fredda tema
Quel, su cui veglia Dio dall'alto cielo?
L'äere muggi in formidabil suono,
E per folgori accese, arda ed avvampi;
Tremi la terra nel suo fondo scossa,
Ch'ei dal favor di Dio reso possente
Saldo sostiene ogni nemico assalto:
Sei di ciò, Crema, all'universo esempio.
Tu cara a Lui, che su d'infame tronco
Comprò col suo morir la tua salute,
Sicura e lieta sotto l'ombra posi
Della sua sacra e veneranda immago;
Che, poi che umana (inorridisco a dirlo)
Mano straniera, scellerata mano
La gittò tra le fiamme, allor ch'il tutto
Empian di sangue i Ghibelliui e i Guelfi,
Da furor stolto a crude guerre tratti,
Tutta atterrita dalla vista atroce
Di tale scelleraggine nefanda
Tu la togliesti al fuoco, e il sacro pegno
Per te serbasti e pe' tuoi tardi figli;
E postolo su l'ara, e con devoti
E ricchi doni il non tuo error purgando,
Così di Dio placasti il giusto sdegno,

Che suo furor su l'esecrando capo
Piovvè egli sol del reo, dell'empio Alchino,
E lui cenere fatto in aspro rogo,
Benigno a te si volse, e ne' tuoi mali
Fu tua difesa ognor, salvezza e scampo.
Facciane Insubria fede, e Italia tutta,
Che te sottratta alla fatal rovina
Vide più volte, e meraviglia n'ebbe.
Da lungo tempo si giacea recisa
La bionda messe negli aperti campi
In gravi fasci accolta; e il ciel cruccioso
Le fea con largo umor sì lunga guerra,
Ch' era presso a giacer corrotta e guasta;
E già la fame di Cocito fuori
Tratto lo scarno avea pallido volto.
Ahi fiera doglia! Ahi miserando aspetto!
S'udian le strade risuonar di pianto,
E tutto minacciava orrida strage.
Ma non sì tosto al sacro Tempio è tolta
La diva Immago, e per le tue contrade
Da te recata in lagrime disciolta,
Che il negro vel dell'adensate nubi
(Alto prodigio, che fanciullo io vidi)
Si spoglia il cielo, e veste un bel sereno,
Onde a te lieta l'abbondanza riede.
A che rammenterò de' prischi tempi
Gli altri di sua pietà favori e doni
Che nel petto scolpiti ognor si stanno?
A che da pingui ed ubertosi armenti
La peste in fuga volta, e le söavi
Pioggie donate ai sitibondi campi,
E agli egri corpi la salute? Dimmi
Che dimandi, o mia patria, e non l'ottieni?
Per larghe pioggie, e per disciolte nevi
Gonfio e superbo, delle rive il freno

Ruppe il Serio, e sdegnato il grave incarco
Onde premeagli il dorso il ponte invitto,
Qual fiero vincitor correa su i campi,
Furïoso predando arbori e biade,
E di mia patria la rovina estrema
Giva affrettando con orgoglio ed ira.
Fuggon per le campagne sbigottiti
I miseri cultori, e dalle mura
Stupidi e lagrimosi i cittadini
L'onda spumosa a riguardar si stanno.
Chi porgerà soccorso in tal periglio
A te, patria mia cara? Egli che largo
Sempre ti si mostrò del suo favore:
Così tu speri, nè lo speri invano.
Correr ti veggo al Tempio, e innanzi all'ara
In supplichevol atto al suol prostesa,
Toltone il velo, il pio Signor discopri.
Come cessò di Dio l'immenso sdegno,
Ch'erasi mosso ad annegar la terra,
Allor ch'apparve in ciel l'Iride bella;
Così il gran Padre in rimirar dall'alta
Eterna sede il suo diletto Figlio
Pender dal tronco, l'ira sua depose,
E con un cenno sol del grave ciglio
Frenò la torbid'onda, e le diè legge
Di svestir sua ferocia. In quel momento
Il doppio corno, e la superba fronte
Chinò supplice il Serio, e ritorcendo
Umile il piè nel letto suo si ascose.
Sgombra però d'ogni timore, e tolta
A periglio sì grande, come grata
Al tuo Liberator ti mostri, o Crema?
Quai lodi ed inni a lui tu canti, e quali
Grazie gli rendi, e di quai vaghi doni
Ne arricchisci l'altar? Come più splende

Fiamma agitata da gagliardo vento,
Così fu sempre poi più bello e chiaro
Vèr Lui tuo culto tramandato a noi
Da secoli vetusti; a noi che mentre
Abbiam di rinnovare il Tempio cura,
E far che del pietoso Iddio la sede
Splenda per oro, e sia di Lui più degna,
Nuovi prodigi con mirabil gara
Per la salvezza nostra in opra ei pone.
Le candid'ali per gli eterei campi
Spieghi la fama con veloce volo,
E dando fiato alla sonora tromba
Palesi il grande insolito portento,
Che l'incredulo vide, e non ardìo
Pur d'aprir bocca; e che vergato in carte
Colmerà di stupor la tarda etade;
Ma se all'egra mia mente il tuo favore
Non presti, Urania, or che ho canuto il crine,
Come spiegar potrò cose sì grandi?
Quindi la cetra, che negletta e muta
Giacque gran tempo, dal tuo lume scorto
In man riprendo, e sì mirabil fatto
Con ordine disvelo. Avea la notte,
Da' suoi negri corsieri in cielo tratta,
Più che del cerchio suo varcato il mezzo,
E in profondo silenzio ed alto sonno
Giacea sepolta la cittade intera;
Allor, ch'il ciel mandò gravi muggiti
E spaventosi, e si posò su lei
Gravido di säette e densa pioggia,
Presagio di dolore, un nero turbo.
Dovrò dirlo, o tacer? Ecco rimbomba
L'äer d'alto fragore, e tortüoso
Orrendo fulmin scende, alla cittade
Apportator d'estrema doglia e danno,

Se scudo non gli fa di Dio la mano.
Rivolto all'aquilone in Crema sorge
Un ben rinchiuso e ben difeso albergo,
Ove in gran copia la nitrosa polve
Si serba, che presidio è della patria
Contra i nemici, e ch' ora in vece è fatta
Avversaria crudel, che le minaccia
Estremo eccidio; poi ch' in lunga riga
Fendendo il dorso delle oscure nubi
Qui il fulmin cadde, e nella doppia vòlta
La via si aperse a penetrargli in seno.
Tosto il carbone, e lei, ch' il cinge intorno
Robusta quercia, il fuoco in sè riceve
Ambo alla polve micidial riparo
Contro il soverchio umor, che d' ogni lato
Di gire a lei chiuso si trova il varco.
Sorgea frattanto il dì piovoso e fosco
Dall'orïente, e già nov' ore il tempo
Predato avea, da che il vorace fuoco
Chiuso ad occhio mortale, e a tutti ignoto,
Struggea la quercia intorno, il cieco sdegno
Ritenendo dal fare all'esca danno,
Che tocca appena da leggier favilla
Arde, tuona, balena, e orrenda strage
Alle cittadi ed alle genti apporta.
La prima sei, che il gran periglio intendi,
O Marianna. Fra dirotta pioggia
Torcendo il piè (così volendo il Cielo)
Verso le mura, dall' offesa vòlta
Alzarsi vedi in nera ruota il fumo.
Onde confusa e spaventata gridi:
Soccorso, o cittadini: ah! v' affrettate...
Siamo perduti... — In un istante vola
Per la cittade sì funesto annunzio,
Ch' incerto prima, e omai troppo sicuro

L'orecchie tue percuote, o Pasqualigo,
Che da colei, che sovra l'Adria impera,
E dal suo gran Senato, a queste mura
Spedito, ne rallenti e strigni il freno
Provvido ed amoroso. Ahi! qual consiglio
Fia il tuo, signor, mentre la mente è scossa
Dal tumulto improvviso? A quel t'appigli,
Che ti presenta il periglioso evento.
Quanto richiede la comun salvezza
Opri e comandi, e l'agguerrite schiere
Poste su l'armi, ed altra gente seco
A te chiamando, che, se via si trova,
Con ampio umor l'ascose fiamme estingua;
A ciascun altro di fuggire imponi.
Tosto dall'alte torri in suon lugubre
Con perenne fragore il sacro bronzo
Sprona alla fuga, e non pur questo solo
Ma i bellici stromenti onde di Marte
S'accendon l'ire, dal picchiar freqnente
Stimolati consigliano la fuga.
Al suon funesto (ahi luttüoso aspetto!)
Qual pianto sorge in ogni albergo e via?
Alto s'ascolta una confusa voce
Gridar: Fuggite, o cittadini: è giunto,
Ecco giunto alla patria il giorno estremo:
Fuggite, e vi togliete a certa morte.
Storditi a tali accenti, e in cor dubbiosi
Per lo stimol de' suoi, pallidi il volto,
Dal timore abbattuti, il piè tremante,
Muovono, e non san dove, incerti ancora
S'hanno a lasciare i patrii lari, e i tetti
Od altra strada a lor salute aprirsi.
Le squille intanto dan pur sempre avviso
Ch'il periglio è più presso, e omai vicino;
Quindi per ogni via fuggon veloci,

Abbandonando le più care cose,
Senza cura tener de' patrii alberghi,
Che lascian privi di custode e aperti.
S'aduna il volgo ed affollato fugge,
E nel fuggir l'un l'altro incalza e preme.
Misti i vecchi a' fanciulli, uomini e madri,
E le matrone disadorne il seno,
E le fanciulle scarmigliato il crine,
Pallide, impaürite ed anelanti
Escon precipitose dalle porte,
Cercando i campi aperti, incerte dove
Le guidi il fato, ove restar dal corso.
Nè intanto il ciel caliginoso e fosco
Lascia di giù versar novello umore
Che largo scende ad innondar le vie,
E destar sopra lor tenace fango.
Chi di quel giorno può ridire appieno,
Oppur chiudere in versi il duolo, il pianto,
Le vicende, gli eventi? Quel fanciullo,
Che smarrita ha la cara genitrice,
Ferisce il ciel con lamentevòl grido,
E di lagrime bagna il volto e il petto.
Ella in cerca di lui da dolor vinta
S'aggira in ogni lato, e vanne e viene
Finchè trovato il caro e dolce pegno
Seco lo porta in l'amorose braccia.
Colà geme la sposa afflitta e mesta
A cui tolto è lo sposo. Il fango e l'onda
Ricchi si fan di femminili spoglie
Onde vestono il piede, ornano il seno,
Coprono il fianco, e fan corona al crine.
Un ch'orme stampa su d'angusta riva
Non ben reggendo i mal sicuri passi
Cade, e di fango e umor si asperge tutto.
Quegli gl'infermi piè traendo a stento

Al suo andar fa d'un accro sostegno.
Questi, a cui l'età molta il dorso incurva,
Tardo e tremante viene, e per la mano
Lo guida il figlio, l'amoroso figlio,
Che per sè teme e pel suo caro padre.
D'un altro lato trasportar si vede
Su d'alto seggio addolorato infermo,
Che tinto di squallor s'attrista e geme.
Di mesto pianto e d'affannose grida
Rumoreggian le vie. Spesso chi fugge
Si volge a dietro a rimirar la patria,
E grida: Ahi! patria a me diletta e cara,
Fia che ancor ti rivegga? oppur costretto
Di ricercar sarò straniere terre?
E fuor cacciato, ahimè! dal natìo tetto
Lungi n'andrò ramingo in duro esiglio?
Deh vi prenda pietà, celesti Numi,
Pietà vi prenda dell'afflitta patria,
Indegna pur di sì perversa sorte. —
Fuggendo intanto per i vasti campi
Lagrime versi, o d'alta stirpe e chiara
Vago ed amabil germe, Pasqualiga,
Ch'ange la doglia del perduto figlio,
Ed il timor del tuo lontano sposo.
Ma discaccia dal sen tema e dolore;
Che cotanto valor (ne ho certa speme)
Rivolto al bene e alla comun salvezza,
Sì tosto già non fia che giunga a sera,
E il ciel cura terrà del dolce figlio
Che salvo rivedrai. Tu pur ten fuggi,
Madre mia cara; ne tardò la fuga
Stanca e debil vecchiezza. Ah! perch'io teco
In sì grave periglio allor non era,
Che su gli omeri miei söave peso
Io t'avrei trasportata e posta in salvo?

Sebben, folte, che dico! Ahi come il duolo
A delirar mi mena! Hai pure, o madre,
Teco il diletto mio fratello, e teco
Le due sorelle son, saldo sostegno
Agli incerti tuoi passi, e la cui mano
Te del piovoso ciel sottratta all'ira
Ripone al fine entro sicuro albergo.
Qui cogli spirti dal timore oppressi,
E nelle vesti loro umidi e molli,
Molti giungendo vanno a schiera a schiera,
Come il cieco timor gli spinge e guida;
Il timor, che mille altri adduce altrove
Per vario calle, al lor fuggir prescritto;
Quel timor cieco, ch'adombrò d'un velo
Lor mente sì, che rammentar non seppe
Quanta ebbe già da Dio grazia e salute,
E qual sperar ne puote. Alfine ei lascia
Di premer grave a' fuggitivi il dorso,
E tregua dona al core; ond'essi tosto
Delle trascorse età volgendo in mente
I celesti favori, ambe le mani
Alzano al ciel, con sì dirotto pianto
Che risuonar fa i campi e il vicin fiume,
E con alto clamor chieggon pietade;
E pietà chiede uom pio, di cui la fama
Entro caligin folta il nome avvolge,
Che da miglior consiglio al tempio scorto
A svelar corse la devota Immago,
E le faci vi accese, e a terra steso
Perdon, salute alla sua patria implora.
Presso l'esempio suo muovon pur altri,
Chè non già tutti abbandonâr le mura,
E giusti al Nume innanzi, ardenti voti
Formando vanno, e affettüosi preghi
Porgon per lor salvezza. Altro che pianto

Non si fa udir nel tempio; e pianto amaro
Rotto dal singhiozzar versan ne' chiostri
Le vergin pie, che nell'età più verde
D'almo candor l'immacolato giglio,
E sè medesme al sommo Re del cielo
Co' santi offriro inviolabil voti,
E che la vita in pria perder son pronte,
Che porre il piè fuor delle sacre soglie;
E ch'in vedersi abbandonate sole
In tal periglio, in lagrime e sospiri
Implorando pietà sciolgono il core.
Ahi! ch'in tanta procella e in tanto affanno
Dell'afflitta città, tu, suo Pastore,
O piissimo Marco, da lei lungi
Non consapevol di sua sorte vivi.
Qual ti vedrebbe il tuo diletto gregge,
Se con lui fosti, per la sua salvezza
Regger fatiche ed affrontar perigli!
Qual le sacre fanciulle avrian conforto
Dal tuo dolce parlare! e pria dell'altre
Le meschinelle, a cui diè Chiara il nome,
E le leggi Francesco, e che più presso
Hanno il periglio, e l'ondeggiante fumo
Veggon salir rotando all'alte nubi!
Ma da divino amor ferito il seno,
Prospero, tu che le sue veci adempi,
In lor conforto voli, e i passi appena
Nel pio recinto innoltri, ch'elle tosto
Ti si affollano intorno lagrimose
Come veloci e timide colombe.
Con brevi accenti i päurosi petti
Rinfranchi, e fai, ch'in Dio pongan lor speme,
E colle care a lui sue fide ancelle
Umili a terra le ginocchia inchini,
E accesi voti ed infuocate preci

Molle di pianto raddoppiando vai.
Le udì dall'alto di sua sede Iddio,
E con placido volto i comun voti
Propizio accolse, e non negò soccorso;
E a te d'eterna rimembranza degno
Di nostra gioventù specchio e ornamento,
Che con imprese generose e belle
Il coro accresci de' soldati eroi,
A te, Gaetano, di vigor celeste
Ei l'alma empì, perchè tu possa ardito
Per la patria affrontar di Marte il guardo:
Che poi ch'ir vano ogn'altro sforzo vedi,
In pria d'ogn'altro per l'infrante porte
Entri animoso nell'oscuro albergo
Ove ondeggia atro fumo. A' primi passi
Quasi ti senti all'anelante seno
Tronca la via di respirar; e morte,
Morte ti si presenta in truce aspetto.
Pur seguendo il cammin, quando più presso
Scorgi il periglio, e divorar le fiamme
Quant' hanno intorno, come puoi, t'aìti.
D'alto e spesso gridar: Coraggio, innanzi,
Acqua, presto, acqua, amici! Essi ad un tratto
Carchi d'umor si spingon dentro in folla.
Qual rapido balen tu presa un'urna,
Che di sulfurea nera polve è grave
E ch' esser vedi delle fiamme preda,
Voli, e la scagli in la vicina fossa;
E rivolando nel periglio ancora
Senza danno temere, ovver fatica,
Intrepido ti slanci in ogni parte.
Valor sì grande ogn'altro petto accende
L'opra a seguir. Si veggon altri a gara
Su le fiamme portar rivi d'umore,
Ch'in seno dorme alla vicina cava;

Altri il nero tesor donano all'onde,
Che trovan calda aver l'urna ch'il serra;
E quel ch'intatta l'ha, trasportan lungi
E ripongono in salvo. Or questi, or quelli,
Vengono e vanno in lunga schiera. A tutti
Sta sopra de' guerrieri il vigil guardo,
Come a tant' uopo vuol provido impero;
E affrettan l'opra i coraggiosi duci
Vigor porgendo alle già stanche braccia.
L'ardir, la forza, il senno, e più di Dio
L'onnipotente favorevol destra
Ebber vittoria al fine, e spento giace
Nel vôto albergo il minaccioso incendio.
Quindi color, ch'in sì dubbiosa sorte
Senza aver posa mai, su e giù correndo,
Qual n'avean legge, ogni minuto evento
Ti riportavan fidi, o Pasqualigo,
Nunzi or vengono a te, che salva è Crema.
A sì lieta novella, oh di qual gioja
Calmar ti senti l'affannoso cuore!
Ride il piacer nella serena fronte,
Ride negli occhi; e le dolcezze sue
In tutta la città ratto diffonde,
E a lei richiama gli esuli dolenti.
I sacri bronzi dall' eccelse torri
Al popol danno di salvezza e scampo
Non dubbio segno col giulivo suono,
Ch'empiendo a lui di maraviglia il petto
Sua doglia amara in dolce gioja volge,
Che soverchia dal cuor trabocca in pianto;
E ne van per letizia al ciel le grida,
E a Dio levando ognun gli occhi e le mani
Oh quai grazie gli rende, e quanto il loda!
I garzoncelli, alle fanciulle insieme,
Saltano lieti, e lieti van cantando:

« Lode al gran Dio, chè salva è la diletta
Patria: facciam ritorno a lei ». Già tutti
Fremono i culti campi e l'ampie strade.
Il Sol, fugate l' aspre sue nemiche,
I rai dispiega del brillante volto,
E di nuovo splendor la terra ammanta.
Allegri in viso, e in cuor contenti appieno
Riedono tutti al lor paterno albergo.
Giorno più lieto non mai sorse, o Crema,
Nell'età prisca a serenarti il viso
Dal dì che Creme i fondamenti primi
Gettò delle tue mura, o che più bella
Sorgesti ancor dalla mortal caduta,
A cui ti spinse la feroce mano
Del superbo Fedrico. Or mentre vedi
Con quai prodigi ti scampò da morte
Il tuo Signore, e con che caldo affetto
Ad amar lui ti stringe, apprendi omai
A pregiar meglio sue ricchezze eterne,
E viver a lui solo; e del gran dono
Tosto rendi al suo amor le giuste grazie.
Ma già le rendi; e con sì nobil pompa,
Che di stupor colmi l' Insubria tutta,
La pompa altera a riguardare accorsa.
Tre dì consacri a' venerandi riti
Dell' alma religion, ch'in cuor ti siede,
E giorni son per te solenni e grandi.
Lascia il pastor le selve; i campi lascia
L'agricoltore, ed abbandona l'opra
L'artefice ingegnoso. Il popol tutto
La beltà nuova ad ammirar s'aduna
Della città, che rendon vaga e adorna
Le tele, a cui co' vivi e bei colori
Diero divini ingegni e spirto e moto,
L' oro e i serici drappi, ond'ella è cinta.

Qui zampillano fonti, e là di fiori
E d'erbe ricche il sen verdeggian orti;
Più lungi appar di dilettosa scena
Finta sembianza. Da sì dolce vista
Non sa il popol ritrar stupido il guardo.
Dal tempio intanto di Francesco è tratto
Il divin Simulacro, onde rivegga
L'antica sede, e le sue mura auguste
Di nuova gloria ornate e ricche d'oro.
Il rauco suon delle ritorte trombe,
E de' timpani sacri il grave rombo
Danno d'uscire avviso. Odesi un lieto
Dell' alte squille universal concento,
E dalle mura un rimugghiar frequente
De' bellici metalli, onde dall' ima
Sua sede scossa la cittade trema.
Qui piacer nuovo in ogni cuor si sparge,
E ogn'anima ricrea. Dinanzi a tutti
Ondeggiano i vessilli all'aure sparsi;
Indi accoppiati, e in più drappei divisi,
Seguono i cittadini in lunga schiera:
Regna pietade eguale a tutti in cuore,
A tutti in viso egual modestia splende.
A che di lor, che di piacere a Dio
Trasse fervida voglia a' sacri chiostri,
E stretti ve li tien con alti voti,
Le pie ricorderò diverse torme?
Con andar grave, e senza un volger d'occhi
Che tengon chini in umile sembiante,
Giusta l'ordine lor vengono tutte.
Qual gloria e lume alla divota pompa
Nobiltà porge d'aurei fregi adorna,
E numerosa? In ogni parte regna
Casto silenzio e placida quiete.
I Dalmati guerrieri, in fulgid' ostro

Su veloci destrier quà e là scorrendo,
Apron la strada. Al bellicoso stuolo
Imbrandito l'acciar precede il Duce;
In lungo ordin le vie brillanti rende
Il fiammeggiar di mille faci ardenti.
Seguono poi de' sacerdoti i cori
In luminosa bianca spoglia avvolti.
Ultimo viene il pio Senato, eletta
Parte del Clero, delle sacre insegne
Riccamente fregiato, a cui s' aspetta
Di custodir geloso il divin Pegno,
E che alternando la fatica, il dorso
Piega sotto il funereo augusto letto.
Quà e là si spargon fiori. Ardono intorno
Splendenti torchi, e al puro Olimpo sale
Dell' odorosa Arabia il casto fumo.
Tutto fiammeggia d'oro. Al canto uniti
I musici stromenti empiono il cielo
Di soäve armonia. La folta gente
Da pietà mossa, innanzi a Dio s'atterra,
E sospirando si percuote il petto.
Il Pretor chiude c'l gran Pastor le schiere,
Cui presso vengon della patria i Padri.
Dietro loro affollata, immensa turba
Senz'ordine si spinge. Al tempio giunti
Rinnovan dalle mura il lor muggito
In suon tremendo gl' incavati bronzi,
Mentre recato entro le sacre porte
È il gran Ferétro, e due divisi cori
Destan su l'arpe lor lieto concento.
Splendono spessi torchi in tutto il tempio:
Densa è la folla sì, ch'orma non resta
Del suol, che da uman piè pressa non sia.
Offerto viene con solenne rito
Alla grand'ara il divin dono. S' ode

Nell'interno del tempio augusta parte
Di varia melodia strepito intorno.
Nè qui s'arresta l'allegrezza estrema
Della città. Splendon l'äeree torri,
Splendon le piazze per notturni fuochi.
Cresce ornamento alla sacrata pompa
Prodigiosa eloquenza. Il primo a' rostri,
O Quadrupani, ascendi, in tutta Italia
Orator d'alta e glorïosa fama:
Tu vi sali, o Meazza, appresso lui,
Già da lunga stagione ambo a me cari,
Che mentre a voi nell'età vostra prima
Precettor fui (ben lo rammento, e troppo
Il rammentarlo è forza), in voi fanciulli
Vasto ammirava ed elevato ingegno;
E lieto oh quanto mi promisi allora!
Nè fur falsi i presagi. Ora il conosci,
Crema, tu ancor; chè d'ambidue dal labbro
Immota pendi, e salutar' consigli
Con pronte orecchie desïosa bevi.
Questi tu serba in cuore, e pura e monda
E ricordevol del tuo caro Iddio
Vivi mai sempre, che ti tolse a morte,
E ti sia questo dì sempre festivo.

Questi, ch'in riva del paterno fiume
Pochi versi cantai su rozza cetra
Mentre dolci ozii mi donò l'autunno,
Sotto di quali auspicii il dì vedranno
Se non, Zurla, de' tuoi? Zurla, congiunto

A me col dolce d'amistade nodo;
Zurla splendore della patria, uscito
D'antico sangue, e pei grand'avi illustre.
Canto l'impresa tua; poi che te solo
Il tutto a regger colla vasta mente
Dallo stuol de' miglior la patria scelse;
E con ordin sì dritto a sì bel fine
Tutto conduci, che di te stupore
Ne' tuoi risvegli, e lo straniero ancora
Pieno per te di maraviglia parte.

DE

CLEMENTE XIII

AD SUMMUM PONTIFICATUM EVECTO

CARMEN

HENRICI BARELLII C. R. S. P.

AD

CLOELIAM GRYLLAM BORROMAEAM.

Sat luctu, lacrymisque datum. Jam denique faustus
Ille dies micuit, toti laetissimus orbi,
Cuncti quem populi, cunctaeque in vota petebant
Effusae gentes. Nec passus vana precari
Nos dudum Omnipotens sanctum dedit ultro Parentem.
Ergo age, funereos humeris deponere amictus,
Musa, tibi Vates jubeo; vultuque sereno
Arridens, pallaque sinus ornata nitentes,
Huc delapsa polo, meliori concine plectro
Pontificem terris concessum munere divûm.
Tuque adeo, decus Insubriae, quam plurima coelo
Fama vehit, Gryllaeque micas laus inclita gentis,
Et generi eximios Borromaco addis honores,
Cloelia ades, dum Musa canit. Canit illa supremum
Pastorem, clemens oculis qui te adspicit aequis.
Carmina nec spernes. Subiisti culmina Pindi
Tu quoque Castaliis quondam permixta Camoenis,
Saepe labra immergens docta Permessidos unda:
Nunc senior cultis Sophiae spatiaris in hortis,
Magna movens animis, et sidera mente pererrans.
Postquam Romulidum sedes, et regna relinquens
Terrena, aethereum petiit Benedictus olympum,
Tristitia confecta gravi, confecta dolore
Religio effusis flebat per colla capillis,

8

Saepius ingeminans dilectum nomen, et alto
Lambertine, polo querula te voce reposcens;
Quo fletu gemuere undae, gemuere latini
Colles, atque Echo patriis ululavit ab antris.
Ac veluti docto puppis spoliata magistro
Fluctuat, et fertur tumidas incerta per undas;
Aut quales ovium foetus pastore vagantur
Amoto, gressusque ad noxia pascua flectunt:
Haud secus errabunda, anceps Antistite tanto
Christiadum viduata cohors haerebat iniquis
Exposita insidiis, rapidique incursibus Orci.
  Interea sacro fulgentes murice Patres
Undique conveniunt ad limina celsa frequentes,
Ut vacuas alium in sedes, et sceptra reponant
Pontificem, qui jura viris, et munera divûm
Dispenset: tacitique sedent penetralibus altis,
(Concilium augustum!) Quorum qui maximus aevo
Delcius attollens geminas ad sidera palmas,
Et genibus senior positis ita farier orsus
Innumeris coelum votis, precibusque fatigans:
O qui divina late imples omnia luce,
Accendisque hominum mentes, et pectora flammis,
Spiritus alme, veni, atque animis illabere nostris!
Tu caligantes radiis depelle tenebras,
Ostendens numero quem tu delegeris omni,
Ut per nos olli rerum suprema potestas
Obveniat, Rectorque sacris succedat habenis,
Qui cunctos pietate animi, qui robore praestet.
Ille gubernaclo subeat, qui flectere cymbam
Et sciat, et rapidos valeat contemnere ventos.
Nam quanti insurgunt nimbi! quam saeva carinam
Undique tempestas quatit! infaustumque minatur
Naufragium! tantis adsis miserate periclis.
  Talibus orabat senior; Patrumque Senatus
Omnis singultuque eadem, lacrymisque rogabat.

Nec minus interea solium Patris ante supremum
(Sollicito nam corde gregis stat cura relicti)
Haerebat prono Benedictus poplite, Romae
Pastorem viduae multa prece saepe reposcens;
Tendebatque oculos pariter, dextramque precantem.
Annuit oranti Genitor; simul undique luce
Numinis exarsit sedes, exarsit olympus;
Et laeta insolitis micuerunt ignibus astra.
Intonuere poli; et rutilo (mirabile dictu!)
Hinc illinc coelo visi transcurrere nimbi.
Tum jubar erumpens celsa de sede Tonantis
Aethera per nitidum longo se tramite sistit
Limina celsa super: mediaque in luce Columba
Emicuit quatiens niveas rapidissima pennas.
Illicet excussus tremuit radicibus orbis;
Nutaruntque alti montes; tellusque, fretumque
Sensit adesse Deum. Trepidi formidine Patres
Haeserunt animis, atque in se versa tulere
Lumina mirantes. At celsa missus ab arce
Huc Ales mediam, atque illuc circumvolat aulam,
Nunc te Crescenti, nunc te Sacripantie pennis,
Archintumque petens, Insubrum terra regendis
Quem genuit populis, Cavalchinumque severum,
Atque alium, atque alium: donec, Rezonice, totus
Te super incumbens trepidantes colligit alas.
Extemplo micuere oculi; majorque videri
Adspectu, toto Patrum mirante Senatu.
Tantus frontis honos, et tanta insedit in ore
Majestas, summo dignum quae culmine prodit.
Nec mora, Pontificem concordi voce salutant,
Pro se quisque ferens meritos submissus honores.
Fama est tartareum circum sacra tecta Draconem
Tunc stare; et visum crebro; quin saepius ajunt,
Auditum noctis medias ululare per umbras.
Nam simul extinctum Pastorem vidit ab orco,

Quo Pater omnipotens primaeva ab origine rerum
Compulit, avertens pestem a mortalibus aegris,
Substitit; atque, ut lethalis tum membra cerastae
Mandebat lanians, e pastu labra cruento
Attollens, rupitque moras, et se ocyus antro
Spumeus effudit, nisu conatus inani
Christiadum delere fidem, nomenque, genusque,
Et Vaticani immotam convellere fidem.
Demens! qui coeca secum non mente revolvat
Divinae Sobolis promissa: Haec cardine Sedes
Suffulta immoto manet, aeternûmque manebit;
Nec quassare Erebi potis est vis ulla profundi.
Ille novum ut sensit ferri penetralibus altis
Pontificem, et resonare tuum, Rezonice, nomen
Horrendum infrendens, tetram exhalansque mephitim
Corripit inde fugam, et stygiis se se abdit in umbris.

Ergo agite, aëriis sonitus date turribus aera
Laetificos, reboentque gravi displosa fragore
Tormenta. Adriacis jam tandem affulsis ab oris
Expectata salus. Et habes tu, Roma, Parentem,
Et tu Rectorem, Orbis, habes. Quis gaudia laeto
Jam possit cohibere sinu? Nunc cingere crinem
Fronde juvat, sacrumque juvat deducere carmen.

Dum vero exultant effuso singula plausu,
Vos casti interea pueri, innuptaeque puellae,
Alternos agitate choros; date gutture cantus;
Dicite, Pastor, io, tandem sanctissime prodi,
Pastor, io; Romamque tuo solare jacentem
Adspectu; votisque, Pater, communibus adsis.
At vos, queis sacri custodia credita templi,
Quae mora tanta tenet? Jam limina pandite divûm;
Et pulso squallore procul, niveaque revincti
Vitta festivis onerate altaria donis.

Sed jam panduntur magni penetralia tecti
Clausa diu, et bini incedunt longo ordine Patres

Purpurei. Sacri praecunt insignia Ligni,
Mystarumque chorus. Cunctis micat ore sereno
Laetitia; et gressus templa ad sublimia flectunt,
Augustumque Petri tumulum. Venit ultimus ipse
Subvectusque humeris, altaque in sede locatus
Maximus Antistes candenti in veste refulgens;
Aurea cui lato dependet fascia collo,
Intextaeque micant argento, auroque (supremae
Signa potestatis) demissae ex aethere claves.

Ut vero excessit foribus; seseque videndum
Praebuit, insuetos Urbs tota a culmine motus
Laeta repente dedit; glaucoque indutus amictu
Prosiliens ima Tiberis caput extulit unda,
Et manibus plaudens testatus gaudia utrisque est.

Ast Urbis proceres, studiisque impulsa juventus
Circumfusa ruit. Late loca murmure fervent
Concursuque viae. Nec matrum turba, nec ipsi
Se tectis tenuere senes; coit omnis in unum
Roma locum. Ac veluti ventis aestate coortis,
Hinc illinc fluitat messis flaventibus agris:
Aut qualis, dum prima movent certamina venti,
Aestuat oceanus, simul unda supervenit undam:
Haud aliter stipata humeris immensa ruebat
Turba foro, se densa premens: aegreque coërcent
Custodes populi incursum; mediumque tenentes
Pontificem voces inter, plaususque sequentum
Augustum Petri ad templum comitantur ovantem.

Haud equidem es tanto quondam laetata triumpho,
Ductores quum, Roma, tui populisque subactis,
Et late Imperii protensis finibus ibant
Invecti curru Capitolia celsa petentes;
Armaque multa Patri sacrabant capta Quirino.

Ventum erat ad sedes; aramque hinc inde sub ipsam
Purpureus steterat detecta fronte Senatus;
Et circum reboante alti testudine templi

Concentu vario, et populi clamore sequente
Pontificem proni excipiunt, manibusque prehensum
Altari in medio sacris insignibus auctum
Rite locant. Sedet ille Deûm cumulatus honore,
Et fratres laeto venientes exipit ore.
Illi autem flexo procumbunt poplite sacros
Ante pedes; terraque colunt, coeloque potentem.
  Adfuit ante alios multo venerabilis aevo
Delcius et longo curarum pondere fractus
Guadagnus, sacri quem Lambertine vocabas
Muneris in partem. Hinc se Tamburrinus agebat,
Hinc Passioneus, primis quem Pallas ab annis
Artibus erudiit variis; magnisque Columna
Clarus avis. Rotius pariter veniebat, et ingens
Ursinus, Patrui insignem quem gloria tollit.
Pone sequebatur, priscae spes altera Romae,
Albanus; gallisque olim laetissimus agris
Durinus, Bardusque simul, simul Oddius, almis
Et datus Insubrum Puteobonellius oris.
Felices populi; tanto queis Praesule divûm
Dat Pater ipse frui! Lateri comes additus una
Moschius incedit tardo vestigia gressu
Ille ferens, et crine senex spectabilis albo.
Ast ubi Felsineae te linquo maxima Sedis
Gloria, Malveti? et prognatum rebus agendis
Corsinum, Regumque satum de sanguine Stvardum?
Agmen claudebant, magni virtutis alumni,
Stoppanus, veteres sub quo redduntur honores
Prisca Ravenna tibi; et quem libertatis avitae
Tutorem colis alma Bononia Sorbellonum.
Delfinus, Ghigiusque, altaque e stirpe creatus
Lanzius, et coelo natus Roverus eodem.
  Et jam finis erat; populumque Antistes ad omnem
Conversus, dextra ter ducta, fausta precatus,
Discedens celsas tandem contendit ad aedes.

At tantae velox praenuntia Fama ruebat
Laetitiae, quatiens candentes aethere pennas?
Admotamque tubam labris turgentibus inflat
Undique, qua resonant urbes, et littora, et amnes.
Ipsa petens Venetas directo tramite sedes
Ibat ovans, nubesque simul tranabat et euros.
Vade age, et augustum, Dea, perge docere Senatum,
Confirmans trepidas longa formidine mentes.
Dic unum ex almae lectum Primoribus urbis,
Qui sceptrum Petri teneat; jucundaque Clemens
Restituat miseris iterum saecla aurea terris.
Dic .... Sed jam illa volans monitus nil percipit; et jam
Gaudia tanta ferens Venetas superastitit arces.
Proh quantos procul accipio (nec gaudia fallunt
Me mea) plaudentum sonitus, sonitusque frementum!
Et totam adspicio taedis ardentibus urbem
Lucere, atque atram funalia vincere noctem.

DE

VICTORIIS BOHEMICIS

CARMEN

HENRICI BARELLII C. R. S. P.

Laetitiae bona signa date, et cava tympana cantu
Increpitent, resonentque hilari late omnia plausu.
Insanae cecidere minae, cecidere phalanges
Adversae, gelida quas usque adduxit ab arcto
Caecus in arma furor, rapidaeque insania mentis.
Et modo qui nostros vastabat milite campos
Efferus, imperio meditans, sceptrisque potiri,
Nunc fusus bello convertit terga Borussus.
Tu vero mihi, Musa, dum carmine vates
Aggredior latio memorare ingentia facta,
Austriadumque Duces, et partas sanguine palmas;
Postera quas omnis dudum mirabitur aetas,
Claraque perpetuum servabit fama per aevum.
Jamdudum scythicus crudelia bella Tyrannus
Pectore volvebat tacito; antiquisque triumphis
Elatus ferro sibi subdere cuncta parabat;
Germanisque unum late dominarier oris.
Utque omnes collegit vires impete toto
Proxima Saxoniae praeceps se effudit in arva:
Cunctaque praeripiens, convectansque undique prædas
Agricolis viduat campos, et civibus urbes.
Nec mora, nec requies. Ceu quondam spumeus amnis,
Hinc nivibus turgens, atque hinc pluvialibus undis,
Obiectas vincit moles, atque aggere victor

Erumpens cava saxa rapit silvasque sonantes:
Haud secus ipse trahens collectas undique turmas,
Oppositos superat montes, vallesque profundas,
Lata sibi pandens districte limine ferro.

Et jam torva tuens rapidis legionibus instat
Infelix en, Praga, tibi, atque extrema minatur
Exeidia. Occurrunt equidem duo fulmina belli
Carolus, Augusti frater, Lotharingius heros,
Et natus decori Braunus, queis summa potestas
Omnis commissa est belli; lectisque maniplis
Austriadum cohibent acies in celsa ruentes
Moenia, et hostili perfundunt sanguine campos.

At tandem victi numero, oppressique ruina,
(Ceu leo getulus massylum in littore quondam,
Quem manus agrestum circumstant undique telis,
Ore fremens repetit silvam, cunctisque minatur;)
Sic ipsi pugnamque diu, martemque cientes
Retro pedem referunt, seque intra moenia condunt.
At pars, quam magis adversi vis effera martis
Perculerat, longo per montes tramite tendens,
Semet, Daune, tuo praestanti cum agmine jungit,
Regni qui Moravi fines, et limina servas;
Regna olim, ut fama est, Quadis habitata vetustis.

Non equidem vobis animus, neque pectore virtus
Defuit, Austriaci Heroes. Sat corpora vestram
Saucia virtutem ostentant; inimicaque late
Agmina strata neci. Tum testis Moldaque, tuque
Albi pater, quorum rubuerunt sanguine fluctus.
Tu quoque Caesarae quid possent ense phalanges
Expertus, Schewrene, jaces, fortissime frustra;
Teque tuae flevere acies, et Sarmata ductor.

Ast animis fidens, successuque acrior ipso
Hostis cedentes sequitur; tum moenia circum
Deducens vallum castris, atque aggere claudit
Obsidione premens. Tormentaque bellica longo

Ordine disponi jubet. His neque tristis Erynnis
Tetrius inveniat quidquam, neque torva Megaera.
Haud secus ac iussi faciunt, et barbara pugnae
Classica dant signum, telorumque ingruit horror;
Ferreus hinc illinc ruit imber; foetaque flammis
Machina fulmineis vesano impulsa fragore
Ignitas vomit ore pilas, quibus excita tellus
Tota tremit, flagratque aer, convulsaque nutant
Moenia; et extremam minitantur cuncta ruinam.
Velox interea tanti praenuntia luctus
Antevolat fama, et regalem allabitur urbem,
Maxima ubi sedet Heroum Theresia proles,
Femineo et major sexu, et juvenilibus annis
Caesarea nostras dextra moderatur habenas.
Palluit illa prius subito perculsa dolore;
Tum solio exiliens duplices ad sidera palmas
Protendit, lacrymis oculos suffusa nitentes,
Coelicolas venerata omnes, venerata supremum
Coeliculum regem, qui vastum temperat orbem
Belli idem, pacisque dator, sternitque superbas
Omnipotens animas, et fundo tollit ab imo,
Qui celso auxilium supplex exposcit olympo:
Summe Parens, qui magna tuo regis omnia nutu
Imperia e coelo, et moderaris sceptra potentum,
Hos modo deturbans, atque hos diademate cinctos
Alta in sede locans, si turpi crimine dextram
Servavi innocuam, proavosque sequuta vetustos
Usque tui infectata odiis sum nominis hostes,
Annue supplicibus votis; dextramque potentem
Austriacis protende tuis, et numine firma.
Anne sines, pater, obsessam vastarier urbem?
Et tua templa dari flammis? cineresque sepultos
Barbarus insistet quadrupes? et caede cruentos
Circumaget gladios? praedasque avertes opimas?
Talia collacrymans onerabat sidera votis,

Augustos demissa oculos, frontemque decoram.
At soboles pulchra, Austriadum spes tanta virorum,
Dum flentem pueri matrem, abjectaque corona
Orantem adspiciunt, ipsi quoque ad astra tenellas
Attollunt palmas materna exempla sequuti;
Et tenera effuso perfundunt lumina fletu.
Sed lacrymis mater parce, et vos parcite nati:
Annuit omnipotens; facilesque precantibus aures
Praebuit. Adversae convertent terga phalanges,
Ne dubitate, suoque dabunt cum sanguine poenas.
Et qui saepe polo vos est tutatus ab alto,
Nunc etiam contra infandos tutabitur hostes.
Et jam siderei reserari limen olympi
Adspicio; stridentque emoto cardine postes.
Aliger en miles portis bipatentibus exit
Aethereis fulgens armis, ad bella paratus.
Sustinet aeterno clypeum ex adamante coruscum
Laeva, dextraque ignivomum circumrotat ensem;
Exitiumque, necemque oculis, vultuque minatur.
Ipse est aetherei Michael dux agminis. Ora
Nosco sacra, et adhuc respersum caede Draconis
Tartarei gladium. Insano nam pectora fastu
Inflatus quondam, coeli septemplicis orbes
Scandere, et aeterno ausus iniqua inferre Tonanti
Bella manu, aggressus superis detrudere ab astris,
Improbus! At Michael contra stetit acer in armis,
Conflictuque gravi vanos compescuit ausus;
In tumidumque ruens flammanti fervidus hasta
Stat super, ingeminatque ictus, versatque, premitque;
Impulsumque manu tandem deturbat ab axe.
Ilicet in praeceps fertur; stygiaeque paludes
Excepere nigro monstrum crudele barathro.
Ast ille ardentem volvens cava lumina in hostem
Rugiit, et magno sibi labra dolore momordit.
Talis bellator supera coelestis ab aula

Egreditur, finditque auras, camposque linquentes
Remigio alarum, cinctus fulgentibus armis,
Regna Bohema petens; tibi opem, tibi, Daune, supernam
Ultro ferens, roburque animis, viresque secundas.
Hic mihi quantae acies complerint agmine campos
Caesareas aquilas, invictaque signa sequutae,
Musa, velim memores, et vati rem ordine pandas.
Maximus ante alios figit tentoria Daunus,
Armipotens ductor Daunus, mavortia proles.
Hinc Sorbellonus, patriae laus inclita nostrae,
Ardentes moderatur equos, equitumque catervas,
Jam conferre manus, jam decertare paratas.
Quem sequitur Viedus nulli virtute secundus,
Et Virtembergus genus alto a sanguine ducens,
Sincerusque, Odonellusque, atque Apremontius heros,
Sanguineo nati bello, rebusque gerendis.
Bekius hinc patriis metuendus ducit ab oris
Illyricas acies, abrasis aere capillis,
Bekius et praestans animis, et corpore praestans.
Nec tu Volvarti nostro sine carmine abibis,
Fevrieque, atque tuae Kolovrati gloria gentis.
Tu quoque tu nostra Kinsebi celebrabere Musa,
Exhaustis ausus bello consistere telis.
Ast ubi Nadastum linquo, quem mille triumphi
Insignem reddunt, Esterbasyumque potentem?
Alter equo insidens neglecta veste, comaque
Pannonicas lustrans acies venit, alter amictu
Indutus croceo se se legionibus offert
Teutonicis, fortesque hortatur ad arma maniplos.
Huc Suevi cojere feri, incultique Liburni,
Uscochj et celeres mannis praevertere ventos
Assueti, pinguesque agris avertere praedas.
Marcomanique omnes; et quos hercinia mittit
Silva, et Vindelicae gentes: et Norica castra.
Non idem cunctis habitus, non omnibus arma,

Aut cadem pugnae ratio. Pars ignea torquet
Tela procul, glandes alii, globulosque sonantes;
Et partim certant falcato cominus ense.
  Ast agmen claudunt, gelidi qui flumina Dravi
Sorte tenent, duras et vertunt vomere glebas;
Insubrumque acies, bello delecta juventus,
Quas nec iter longum tenuit, durique labores.
  Talibus instructae telis, atque ordine turmae
Austriacae steterant collis juga celsa tenentes,
Cum magno aethereus Juvenis transvectus olympo
Collegitque alas, et nulli visus, opaca
Indutus nebula, medio stetit agmine victor.
Continuo exarsit cunctis calor ossibus ingens,
Insolitusque animis ultro vigor additus. Arma
Proclamant, simul arma duces, simul arma cohortes.
  Jam Phoebus curru medium conscenderat axem,
Cum magnum accipiens sonitum, atque undantia longe
Sauromatum ductor cernens vexilla per auras
(Nam simul ipse aderat Kaeitho obsessa relicto
Moenia qui quateret, tibi opem Beverene recentem
Adducens, se seque tuis conjunxerat armis)
Infremuit primo effraenes effusus in iras;
Tum patriis actus furiis vesanus, et amens
Acri vectus equo partes se vertit in omnes,
Accenditque feros animos, ac talibus urget:
Eja agite invicti comites; nunc promite vires,
Promite virtutem, cujus praeclara dedistis
Saepius exempla. Et jam tota Bohemia nostra est.
Hic labor extremus vobis; haec ultima pugna
Restat adhuc; durate animis; nec munera porro
Parva dabo. Exuviae vobis, inimicaque cedet
Praeda. Mihi laudem sat erit meruisse. Quid ultra
Haeremus, socii? jam mecum ignobile vulgus,
Caedis relliquias, invadite, sternite ferro.
  Talibus instigat dictis; signumque canorae

Increpuere tubae. Districto protinus ense
Ipse prior pugnam ingreditur, rapidaeque sequuntur
Instructae telis acies, atque impete in hostes
Se toto effundunt medios. Volat excita nigro
Plumbea glans nitro: et tegitur caligine coelum.
Interea exploso tonuerunt aenea ferro
Tormenta hinc illinc; totusque videtur Avernus
Ignes evomuisse suos, tenebrasque profundas.

At Daunus, quem magna animi praesentia firmat,
Et lateri aetherius comes additus ingerit auri
Coelestes monitus, atque addit robora dextrae,
Ordine quemque suo, rupisque immobilis instar
Stare jubet, tum densa acie procurrere in hostem.
Ilicet erumpunt castris data jussa sequentes
Invictique duces simul, invictique manipli;
Ignitosque globos jaciunt, et missile plumbum,
Queis ardet roboatque aether, atque agmina late
Strata ruunt, moestisque fremunt ululatibus astra.

Stampachus interea scythicum imperterritus ensem
Circumagens, dextrum invadit latus; inde sequuntur
Volvartusque ferox, et Kollovratbia proles
Intrepidis equitum turmis; atque agmine fracto
In medios penetrant cuneos. Quis funera fando
Expediat, diramque evolvat carmine caedem?

Jam fessi cedunt hostes, et turpia vertunt
Terga fugae, nec jam promissis Sarmata pulsos,
Nec retinere nimis valet; infrendensque, fremensque
Excessit pugna, seque in sua castra recepit.
Sic quondam aeolio laxati carcere venti
Collectumque fugant nimbum, et trans aequora pellunt.

Non tamen abstinuit demens; certamine victus
Et semel, haud omnis spes olli pectore cessit,
Desponditve animo: ast iterum discrimina martis
Atque iterum aggressus septeno intendere nisu,
In nostrum totis collectis viribus agmen

Irruit; at magna rejectus caede suorum
Austriadumque virùm palmas, atque auxit honorem.
Haud secus antiquam stridenti turbine rupem
Saepius aequorei tentant convellere fluctus:
Illa immota manet, vanas et despicit iras.
Tu solum, heu! nostros funestas morte triumphos
Magne Heros, digne aeterna, Lutzovic, fama.

Et jam defessi longo certamine, opima
Et laeti praeda, turmis in castra reductis,
Austriades placida laxabant membra quiete,
Curabantque artus, et puris vulnera lymphis;
Cum procul adspiciunt undantes pulvere campos,
Sarmaticumque Ducem rursum malesana trahentem
Agmina, praecipitesque equites in bella ruentes.
Protinus arma manu capiunt, et gramine surgunt.
Ocyus atque alacres sua sub vexilla coacti
Invictisque stetere animis, et pectore firmo.

At rex, adverso quem accepta incommoda bello
Exstimulant, urgetque dolor, mucrone cruento
Ardua in oppositi nitens fastigia collis,
Spumantem concussit equum, et se immisit in hostes.
Consequitur quem tota cohors, Beverenus et ipse,
Cui minor haud virtus animo, audendive libido.
Continuo hinc illinc confusus ad aethera clamor
Tollitur, et stridor ferri, clangorque tubarum
Undique crebescunt, oriturque miserrima caedes.

Interea rapidum fraenis, et calce fatigans
Daunus equum medias per turmas volvitur, atque
Nomine quemque vocans, accendit pectora dictis.
Pugnam illi instaurant, et totis viribus hostem
Undique connixi invadunt. Hinc Fevrius instat,
Hinc Sorbellonus, quem totus pectore Mavors
Magnanimo invasit; rapidi quos fulminis instar
Sincerus, Viedusque simul, cunctique sequuntur
Ductores. Et versa retro jam terga dedisset

Borussus, ni forte novus te maxime Daune
Opprimeret casus; nam dictis corda tuorum
Dum stimulas, jaculo est quadrupes tuus ictus alieno.
Vulneris impatiens furit ille, et calcibus auras
Verberat aetherias; stimulosque, et fraena recusans
Te turmas rapit in medias. In te illico ferrum
Convertere omnes; et fors inimica tulisset
Te vis, atque furor, tua ni imperterrita virtus
Obstaret, superisque datus defensor ab astris.
Namque ipse aetherio venientes excipit ictus
Umbone accurrens, et quamvis spicula duplex
Infligant vulnus, tamen haud pervadere pectus
Audent intrepidum. At casu non territus Heros
Sustinet incursus, obsistitque omnibus unus.
Forte procul saevam conspexit fervere pugnam,
Alipedisque premens validos Apremontius armos,
Huc ardens, rapidusque volat per tela, per enses;
Multaque congrediens demittit corpora letho;
Huic caput, atque ambas infesto vulnere palmas
Obtruncat, fulgens olli sub gutture ferrum
Condit. Ubique cadunt acies; neque tendere contra
Sufficiunt. Rex ipse alto de vertice collis
In praeceps agitur pugnantum turbine pressus.
Tum major nostris exarsit pectore virtus
Agminibus, laetasque ferunt ad sidera voces.
Illi palantes caeca formidine capti
In partes fugiunt omnes; vexillaque dextra
Turpiter abjiciunt. Pedibus timor addidit alas.
Vix ipse e media Fridericus caede suorum
Elapsus, potuit nostris evadere vinclis:
Teque petit fugiens Kaeithe, tuosque maniplos,
Unica quae superest spes olli extrema salutis.
Hei mihi! quae caedes, et quanta cadavera campis
Ferro strata jacent! cruor undique, et undique terror
Apparet circum, funestaque mortis imago.

Confusi ducibusque duces, et milite miles
Haerent; ballistasque inter, gladiosque cruentos
Semianimes volvuntur equi, moribundaque passim
Corpora. Sed, supero referens accepta Tonanti
Omnia Caesareus Ductor, stans agmine victor
In medio, tibi supremi Moderator olympi
Persolvens grates, solemnem praecinit hymnum;
Concordique piae respondent voce phalanges,
Qua celsi roboant colles, vallesque profundae.

Sic quondam tumidis merso Pharaone sub undis,
Divinum Moses erythraeo in littore sistens,
Praecinuit carmen laetus super hoste perempto.

Interea Pragae longa obsidione gemebant
Moenia; vitamque in luctu, et squalore trahebant
Afflicti cives, arcto clausi aggere circum.
Ac veluti obscuro crepitans ruit aethere grando,
Atque solo segetes late, et magalia sternit:
Haud aliter (visu horrendum!) atro sulphure foetae
Ingeminant hinc inde pilae, reboantque, ruuntque
Aere cavo impulsae in muros, stygiaque favilla;
Evertuntque domos, et dira incendia miscent.
At parte ex alia pallenti lurida rictu
Extulit ora fames: atque hinc per compita passim
In matrum gremio pueri, juvenesque, senesque
Confecti macie languent, atque aegra trahentes
Membra, diem patriae lugens venisse supremum.

Talibus aerumnis, tantoque oppressa dolore
Moenia squallebant: divûm veniamque precari
Constituunt, castisque tuam (humana omnia quando
Deficiunt, nec jam superest spes ulla salutis)
Nepomucene Pater votis exposcere pacem,
Ut coelo ipse velis patrios defendere muros.

Ocyus ad templum tendunt longo ordine cives,
Permistique senes pueris, matresque, virique.
Maximus ante alios praecit Lotharingius heros

Carolus; inde alii demissa fronte sequuntur
Austriadumque duces simul, Austriadumque cohortes.
Vix sacrum ingressi limen se protinus omnes
Prosternunt, meritoque pias venerantur honore
Martyris exuvias, largo et penetralia fletu
Alta rigant, precibusque preces, et fervida votis
Vota addunt, velit ut fessis succurrere rebus.

Et jam finis erat, cum celsi limina templi
Funditus intremere (horrendum!) tumulusque moveri
Visus, qui cineres, et casta amplectitur ossa.
Ast olli laeti auguriis, atque omine tanto
Spes animo ingentes capiunt. Nec plura moratus,
Sumite tela manu, comites, atque auspice coelo,
Carolus exclamat, densum irrumpamus in hostem,
Quoque vocant superi, atque astris data signa, sequamur.

Ilicet expediunt acies; Divumque precati
Auspicii authorem tanti, se se agmine facto
Effundunt portis. Non sic violentus in arva
Inclusus dudum ripis, atque aggere torrens
Fertur; vel cavea pardus se immittit aperta;
Aut tanto erumpit fremitu tellure profunda
Clausa diu, et vastam dat circum flamma ruinam:
Quanto lecta manus portis ruit impete celsis,
Praeteritis impulsa malis, acrique dolore.

Interea pavidae matres, trepidaeque puellae
Moenibus in celsis castas ad sidera palmas
Attollunt, superosque omnes, ipsumque precantur
Tutorem eximium, cujus sub numine Praga est.

Illi autem ardentes animis, actique furore
In castra insiliunt rapidi, fossasque profundas,
Atque altum superant vallum, incautosque lacessunt.
Tunc hostes trepidare metu; subitoque cohortum
Incursu attoniti partes discurrere in omnes.
Tela alii capiunt, et se defendere pergunt.
Rex ipse in primis audax, certamine fusus

Qui saepe, aetherioque duce, insanoque timore
Impulsus paucis fugiens huc venerat armis.
Te quoque, Kaeithe, invadit furor idem, eademque
Effera vis animi, et bello contendere pergis;
Demens! qui coelo, superisque obsistere tentas.

At dux Austriadum mediis in millibus ardens,
Fulminis in morem, densos se invictus in hostes,
Inter et arma jacit. Subito quo turbine pulsi
Abjectis passim telis per castra, per agros
Praecipiti dant terga fugae. Fugit ocyor euro
Rex ipse; atque amens conversis fertur habenis:
Quem tergo insequitur flammanti fervidus ense
Caede madens Michael. Patrias petit ille latebras,
Sarmaticosque sinus. Nec finibus amplius ille
Audeat excessisse suis, aut bella movere;
Ni nostros armis optat cumulare triumphos.
At Michael rapidis sublatus in aera pennis
Victor ad aetherium tandem contendit olympum.

Carolus haec inter spoliis indutus opimis
Victrices acies ad moenia celsa trahebat;
Laetaque se portis Urbs tota effudit ab altis
Obvia, et ingenti testatur gaudia plausu.
At casti circum pueri, innuptaeque puellae
Connexae inter se manibus plaudente chorea,
Carole, te celebrant; et solvunt carmine grates
Nepomucene tibi meritas, qui numine praesens
Conflictu in medio pugnantum robora dextris,
Invictasque addis vires; et patria servas
Moenia, praesidium, et rebus tutamen in arctis.
Sed Te praecipue divûmque, hominumque Parentem
Carminibus laudant sacris, qui ex aethere dextram
Porrigis armatam; et tumido procul hoste repulso
Austriacos fines, et regna labantia firmas.

Nec minus interea fugiebat Sarmata, saepe
Lumina convertens retro, pallentiaque ora.

Ut vero collegit sese, animosque recepit
Amissos, tectus silva, atque horrentibus umbris
Constitit; et reliquas perlustrans lumine turmas,
Ut tenuem adspexit numerum, rarosque maniplos,
Prodidit effraenem collisis dentibus iram;
Nec potuit lacrymas oculis cohibere cadentes.

ANGELO MARIAE DURINO

S. R. E.

CARDINALI AMPLISSIMO

MECOENATI SUO

HENRICUS BARELLIUS.

Mittis Epistolium, Durine, unaque venustos
Ad me versiculos, queis coeli ad sidera tollis
Immeritum. Erubui, legerem dum talia: mecum
Hoc tamen ipse tui monumentum, et pignus amoris
Servabam tacitus. Tu vero, in luminis auras
Ut prodire sinam, hortaris me saepe, jubesque.
Cur non, invitus quamquam, data jussa facessam?
Malo parum prudens, quam agrestior ipse videri.

HENRICO ALEXANDRO BARELLO

POETAE PRAESTANTISSIMO

ANGELUS CARDINALIS DURINUS.

Si vera est Samii, Barelle, Mysthae
Vetus dictio, quae docet renasci
Defunctorum animas, migrare et illas
Nova in corpora, quis neget, Barelle,
Tot jam saecula mortuum Maronem,
Maronem latiae Arbitrum Camoenae
In tuum rediisse, amice pectus?
Quum quales habuit modos, avenas,
Aut phrasis veneres latinioris,
Illis omnibus ipse sic abundes,
Ut, tu vel sacra, vel profana scribas,
Vates haud queat ille Mantuanus
Heroice magis eloqui, vel latine.
Quod si hanc abnueris, Barelle, laudem;
Nec illud Samii senis probaris
Doctum dogma licet, vetusque, pugnet
Quod cum Relligione Christiana,

Quae renasci animas vetat; migrare
Nova in corpora nec dat; illud omnes
(Quibus cor salit, inque corde acetum est)
NERVAM temporis ut sui Tibullum
Dixit rite poeta Martialis:
Hac et nos ratione praedicemus
Nostri temporis esse te Maronem.

INDEX

ELENCO

DEI SIGNORI ASSOCIATI

Illustrissimo e Reverendissimo Monsig. Giuseppe Sanguettola, Vescovo di Crema.

Ajolfi Sac. Luigi, Coadjutore in S. Pietro.
Albergoni Dott. Agostino.
Allocchio Gaetano, Chimico-Farmacista.
Allocchio Sac. Giovanni, Direttore delle Scuole Elementari Maschili.
Allocchio Dott. Luigi, Direttore dell'Ospitale Maggiore ed Uniti.
Alzani Chierico Giovanni, studente di Teologia.
Andreotti M. R. P. D. Ignazio, Barnabita, Consultore Provinciale e Coadjutore di S. Alessandro in Milano.
Aschedamini Sac. Simone, Prevosto di S. Benedetto.
Baletti Ing. Gaetano.
Baletti Giuseppe.
Barbaglio Sac. Andrea, Prevosto di S. Giacomo.
Barbati Sac. Vincenzo, Prof. di Religione nel Ginnasio e Cancelliere Vescovile.
Barbieri Vincenzo, studente di Umanità nel Ginnasio.
Barboni Sac. Angelo, Canonico Teologo della Cattedrale.
Bastici Ing. Vincenzo.
Battajni Sac. Felice, Rettore del Seminario; per tre copie.
Beffa Conte Agostino di Mantova.
Beffa Conte Giovanni di Mantova.
Benelli Davide, studente di Umanità nel Seminario.

Benvenuti Conte Fr. Alfonso, Commendatore dell'Ordine Gerosolimitano.
Benvenuti Conte Livio, Ciamberlano di S. M. I. R. A., Cav. dell'Ordine Gerosolimitano, Podestà ed I. R. Vice-Direttore del Ginnasio di Crema.
Bertolotti Sac. Agostino, assistente spirituale all'Ospitale Infermi.
Bettinzoli Nob. Vincenzo.
Bianchessi Chier. Giovanni, studente di Umanità.
Biblioteca del Seminario.
Bisleri Dott. Antonio.
Bisleri Dott. Battista, Medico Condotto in Izano.
Bisleri Vincenzo, Assessore Municipale.
Bodio R. P. D. Angelo Maria, Barnabita, Maestro degli studenti in S. Barnaba in Milano.
Bolzoni Stefano, Segretario Municipale emerito.
Bonzi Conte Guglielmo.
Bonzi Conte Leonardo, studente di Umanità nel Ginnasio.
Bozzolo Giovita Prof. nel Ginnasio.
Braguti Sac. Nob. Paolo.
Branchi Dott. Faustino, Medico-Chirurgo secondario nell'Ospitale.
Bressanelli Chier. Gio. Battista, studente di Filosofia.
Bressanelli Giuseppe, studente di Umanità nel Ginnasio.
Cabini Sac. Bartolomeo, Prof. nel Ginnasio.
Cantoni Sac. Pietro, Coadjutore in Ombriano.
Capredoni Ing. Cesare.
Capredoni Michele, studente di Umanità nel Ginnasio.
Carioni Sac. Gio. Battista, I. R. Sub-Economo del Distretto VIII.
Carioni Chier. Lorenzo, studente di Umanità.
Carioni Chier. Nob. Marco, studente di Umanità.
Carniti Giuseppe.
Carniti Pietro, studente di Umanità nel Seminario.
Castelli Nob. Gian Galeazzo di Milano.
Cattaneo Chier. Gio. Battista, studente di Umanità.
Cattaneo Chier. Giulio Cesare, studente di Teologia.
Cavalleri Carlo Ragioniere.
Cavalleri R. P. D. Giovanni, Barnabita, Prof. di Umanità nel Collegio Convitto di Monza.
Ceresa R. P. D. Stanislao, Barnabita.
Chinelli Sac. Gaetano, Prevosto di Ripalta Nuova.
Chiodi Sac. Gio. Battista.
Coldaroli Dott. Antonio.
Collegio Convitto dei Chierici Regolari Barnabiti in Monza.
Collegio di Noviziato dei Chierici Regolari Barnabiti in Monza.

Collegio Convitto dei Chierici Regolari Barnabiti in Lodi.
Confalonieri M. R. P. D. Antonio Maria, Barnabita, Rettore del Collegio Convitto in Lodi.
Corradini Conte Onofrio, Romano.
Crespiatico Chier. Vittorino, studente di Filosofia.
Dandolo Conte Emilio di Milano.
De-Herra Nob. Francesco di Milano.
Della-Giovanna Angelo, Maestro della 3.ª classe nelle Scuole Elementari.
Della-Noce Silvio, studente di Grammatica nel Seminario.
Donati Ing. Carlo.
Dornetti Ch. Paolo, studente di Teologia.
Fadini Nob. Gerolamo.
Fadini Nob. Giacomo.
Fadini Nob. Orazio.
Fanganini Gian Carlo, studente di Umanità nel Ginnasio.
Fasoli Sac. Agostino, Prefetto emerito del Ginnasio.
Fasoli Ch. Agostino, studente di Filosofia.
Fasoli Sac. Angelo.
Fasoli Sac. Antonio, Prof. emerito del Ginnasio.
Fasoli Ch. Giuseppe, studente di Filosofia.
Ferré Dott. Anania.
Ferré Sac. Pietro Maria, Prof. di Teologia Dogmatica e Scienze annesse.
Freri Giovanni, Chirurgo Maggiore Ostetricante.
Freri Lorenzo, Perito Agrimensore.
Gazola Conte Giambattista, di Verona.
Gerola Sac. Francesco, Coadjutore nella Cattedrale.
Gobio R. P. D. Innocente, Barnabita, Prof. nel Collegio Convitto di Lodi.
Gobio Nob. Carlo di Mantova.
Gottardi Francesco, di Arona.
Griffoni Sant' Angelo Conte Angelo; per quattro copie.
Guarini Nob. Giacomo, Deputato dei Nobili alla Congregazione Provinciale.
Guerini Lazzaro, studente nel Ginnasio.
Lacchini Ch. Emidio, studente di Teologia.
Lena Sac. Pietro, Prof. di Filosofia Teoretica e Pratica, Filologia Latina e Storia Universale nel Liceo Vescovile.
Mandricardi Giacomo, Commissario.
Marazzi Sac. Luigi, Prof. di Grammatica nel Seminario.
Marazzi Conte Paolo.
Marini Sac. Andrea, Canonico.

Marini Paolo.
Martinelli Giuseppe, studente di Umanità nel Ginnasio.
Marzetti Sac. Antonio.
Massari Dott. Ignazio
Massari Luigi, Ingegnere Municipale, Prof. emerito di Matematica.
Mazzucconi R. P. D. Michele, Barnabita, Coadjutore nella Parrocchia di S. Alessandro in Milano.
Meleri Sac. Gabriele, Prof. di Matematica, Fisica e Filologia Greca nel Liceo Vescovile.
Meneghezzi Ferdinando, Prof. nel Ginnasio.
Merico Sac. Carlo, Prevosto di S. Pietro.
Milesi Antonio, studente di Umanità nel Ginnasio.
Minola M. R. P. D. Carlo Pio, Barnabita, Rettore e Prof. di Storia Universale e Filologia nel Collegio Convitto in Monza.
Monticelli Nob. Gio. Battista, Deputato alla Congregazione Centrale di Milano rappresentante la R. Città di Crema, Cavaliere dell'Ordine militare di Santo Stefano di Toscana, I. R. Ciamberlano attuale.
Monticelli Nob. Carlo.
Monza Dott. Gio. Battista, Segretario Municipale.
Moretti Sac. Gio. Battista, Prof. di Umanità nel Seminario.
Necchi Ch. Francesco, studente di Umanità.
Nicoli Giuseppe, di Milano.
Noli Datarini Nob. Attilio, Deputato de' Nobili alla Congregazione Provinciale.
Noli Datarini Nob. Dott. Francesco.
Oldi Conte Timoteo.
Oliari Sac. Antonio.
Pajardi Ch. Giuseppe, studente di Filosofia.
Parati Ing. Giacomo.
Parea R. P. D. Carlo, Barnabita, Vice-Rettore nel Collegio Convitto in Lodi.
Parravicini Nob. Giacomo, di Milano.
Pasquini Giuseppe, Dott. in Matematica.
Pecchio R. P. D. Angelo Maria, Barnabita.
Pedrini Sac. Gio. Battista, Prefetto del Ginnasio.
Perabò M. R. P. D. Giuseppe, Proposto Provinciale dei Barnabiti e Direttore dell'Istituto Filosofico nel Collegio Convitto di Monza.
Perabò M. R. P. D. Carlo, Barnabita, Procuratore e Prof. nel Collegio Convitto in Lodi.
Pezzetti Dott. Paolo, Medico Condotto in Madignano.

Piantelli Ch. Angelo, studeote di Umanità.
Piantoni R. P. D. Franeesco Alessandro, Barnabita, Prof. di Grammatica nel Collegio Convitto in Monza
Poggi Paolo, di Milano.
Portapuglia Bondenti Conte Luigi.
Pozzoli Dott. Carlo
Premoli Conte Alessandro.
Premoli Conte Antonio.
Premoli Sac. Celestioo, Priore Parroco di Madignano.
Racchetti Rocco, Prof. di Umauità nel Ginnasio.
Racchetti Valentino, studente di Umanità nel Ginnasio.
Ragazzi Ch. Giovanni, stndente di Teologia.
Re Ing. Luigi.
Riboli Dott. Cristoforo.
Riboli Cristoforo, Perito Agrimensore.
Riva Sac. Giovita, Prof. di Teologia Morale e Scienze annesse, Segretario Vescovile.
Rosaglio Nob. Francesco
Sabbia Sac. Cristoforo.
Sabbia Sac. Francesco, Vice-Rettore del Seminario.
Sajani Ch. Francesco, studente di Umanità.
Samarani Bonifazio, Prof. nel Ginnasio.
Sangiovanni Sac. Agostino, Coadjutore in S. Giacomo.
Sanseverino Conte Faustino, Cavaliere Gerosolimitano; per sei copie.
Sanseverino Coote Gerolamo, Deputato dei Nobili alla Congregazione Provinciale.
Scarpini Ch. Gemello, stodente di Teologia.
Scarpini Leonardo, stodente oel Ginnasio.
Schiavini Dott. Camillo.
Schiavini Giovaoni.
Sertoli Nob. Dott. Francesco, Aggiunto dell' I. R. Pretora.
Severgnini Battista.
Severgnini Domenico; per due copie.
Severgnini Francesco; per tre copie.
Silva Sac. Annibale, Prof. di Istruzione Religiosa nel Liceo Vescovile.
Spagnoli Luigi, studente di Umanità nel Ginnasio.
Tensini Nob. Mons. Gioseppe, Areiprete della Cattedrale e Vicario Generale.
Triulzi Sac. Diego, Prof. di Umanità nel Seminario.
Valcarenghi Luigi.
Valdameri Sac. Luigi, Prof. di Pedagogia, Catechetica e Me-

todica nel Seminario, e Direttore dell' I. R. Scuola Elementare Femminile.

Vandoni M. R. P. D. Francesco, Barnabita, Consultore Provinciale e Preposto Parroco della Parrocchia di S. Alessandro in Milano

Varenna M. R. P. D. Felice, Barnabita, Consultore Provinciale e Penitenziere nella Metropolitana di Milano.

Venturelli Sac. Pietro.

Vimercati Nob. Agostino, Cavaliere Gerosolimitano.

Viola Costantino.

Vitali Alessandro, studente di Umanità nel Seminario.

Zanetti Dott. Angelo, Medico Primario dell' Ospitale.

Zurla Nob. Agostino, Assessore Municipale.

Zurla Marchese Enrico, studente nel Ginnasio.